

SCRITTORI D'ITALIA

---

OPUSCOLI E LETTERE

DI

RIFORMATORI ITALIANI

DEL CINQUECENTO

A CURA DI

GIUSEPPE PALADINO

VOLUME SECONDO




BARI  
GIUS. LATERZA & FIGLI

TIPOGRAFI-EDITORI-LIBRAI

1927



EX-LIBRIS



• JOHANNIS GENTILE •



Nr. 3344.

F. p. 10 - f. 39

(3146)

SCRITTORI D'ITALIA

---

OPUSCOLI E LETTERE

DI

RIFORMATORI ITALIANI

DEL CINQUECENTO

II







OPUSCOLI E LETTERE

DI

RIFORMATORI ITALIANI

DEL CINQUECENTO

A CURA DI

GIUSEPPE PALADINO

VOLUME SECONDO



BARI

GIUS. LATERZA & FIGLI

TIPOGRAFI-EDITORI-LIBRAI

1927



---

PROPRIETÀ LETTERARIA

---

DICEMBRE MCMXXVI - 70761

7

I

AONII PALEARII VERULANI

ACTIO IN PONTIFICES ROMANOS ET EORUM ASSECLAS AD IMPERATOREM ROMANUM, REGES ET PRINCIPES CHRISTIANAE REIPUBLICAE, SUMMOS OECUMENICI CONCILII PRAESIDES, CONSCRIPTA CUM DE CONCILIO TRIDENTI HABENDO DELIBERARETUR.





AONIUS PALEARIUS, SERVUS IESU CHRISTI, DEPOSITARIIS LIBELLI SUI, FIDELIBUS ET SANCTIS VIRIS, PACEM ET GRATIAM DICIT A DOMINO NOSTRO IESU CHRISTO.

Meae litterae unae atque alterae ad Helvetios et Germanos annis superioribus scriptae sine praefatione nominis, quae spes, quod consilium, qui animi mei sensus fuerit significare potuerunt. Testis est mihi Deus et pater Domini nostri Iesu Christi, me diu desiderasse a principibus christianis, ut, advocatis bonis et doctis viris, ipsi conventibus peragendis principes interessent ac praessent, ut in eorum corona testimonium firmum sanctumque dicere possim, et, si necesse fuerit, fortiter mori pro gloria Christi. Cum in eo desiderio fuisset multos annos, et in aliis rebus principes occupatos viderem, et appropinquare tempus resolutionis meae, scripsi testimonium et ex testimonio actionem in pontifices Romanos et eorum assecclas, ut, si bene instructum ad mortem contemnendam mors prior occupasset, post mortem etiam prodessem optimis fratribus meis, quorum malis testimonio hoc mederi in concilio cupiebam. Quod sincere, caste, integreque scriptum depono apud viros sanctos et fidei plenos, ut hac ratione conservetur usque ad tempus concilii futuri, quod oecumenicum, liberum, sacrum, solemne fiet sine dubio in suo tempore, quod tempus ut cito veniat flecto genua mea ad patrem Domini nostri Iesu Christi. Quod concilium si tamdiu differretur, ut vos depositarii, ingravescente aetate, vereamini praeveniri morte; deligite ac substitute alios bonae famae viros et pietatis evangelicae studiosos vel ex fidelibus Helvetiis, vel ex Germanis vestris, ut depositum per manus

tradatur, et alter ab altero accipiat conservandum usque ad tempus concilii futuri. Cavete interea, ne prodeat ac vulgetur, propterea ne alii quam depositarii legant et habeant in manibus. Id vos servus Iesu Christi rogat et obtestatur per fidem, quam debetis testi fideli, ac iudici vivorum et mortuorum, qui reddet unicuique secundum opera sua. Quod si dies expectatissimus illuxerit, ut desiderio pacis publicae et concordiae ecclesiarum populi, qui obediunt evangelio, agant inter se, et flagitent atque impetrent ab imperatore Romanorum, a regibus et principibus christianis, ut concilium serio indicatur pontifici Romano, ut cum cardinalibus suis et episcopis asseclisque eorum conveniat in unum aliquem locum ad publicos et liberos conventus peragendos ex omnibus gentibus et nationibus, quae invocant nomen Domini nostri Iesu Christi, in quibus omnes populi libenter et attente audiantur per oratores, qui sine periculo, sine fraude, sine metu, libere possint dicere in praesentia imperatoris ac regum principumque et legatorum civitatum, ut, constituta aequitate iudicii, gladio verbi Dei rescindantur abusus, dirimantur controversiae de religione, purgentur et sanentur ecclesiae, ut cohaereant in unum corpus; — cum hoc tale concilium indictum apparari videbitis, tum memineritis, depositarii, et effeceritis, ut haec mea scripta integra ac sincera perferantur ad ecclesiarum fidelium Helvetiorum aut Germanorum praefectos et defensores sancti evangelii, quos Domini nostri Iesu Christi nomine in Spiritu sancto tutores veros et legitimos facio ac instituo huius libelli, ubi e depositariorum manibus exierit.



PRAEFECTIS SANCTARUM ECCLESiarUM HELVETIORUM  
ET GERMANORUM.

Qui libellus cum ad vos allatus fuerit, praefecti sanctarum ecclesiarum Helvetiorum et Germanorum, vestrum erit vel eum retinere vel emittere in tempore, ut scilicet cum commendatione vestra et litteris publicis producat in ipso concilio oecumenico libero, sacro, solemnium testimonium hominis pii, qui e vita decedens nihil erat quod Christo mentiretur, ut sit hoc testimonium cum actione veluti fulmen repentinum, quod feriat Antichristum, cui spatium longius ad respondendum, viri fratres, non est dandum. Verbo Dei malus ille opprimendus est primo quoque tempore, in concilio ipso, ob os atque oculos magnorum principum. Habet ille, quod vos probe nostis, sophistas et praestigiatores, per quos, si spatium dabitur, illudet, ut ante hac fecit, regibus et imperatoribus, et propterea libellus hic non alibi quam in concilio ipso est exhibendus. Quod si vetus vulpecula Romana spem concilii fecerit, et ipsa refugiens aliquos tamen episcopos dolo malo submiserit, ut saepe iam factitavit, tentans animos principum et illudens ecclesiae Dei, continete, viri fratres, libellum. Dabit enim, dabit Deus et pater Domini nostri Iesu Christi, ut aliquando, concitatis et confluentibus populis, a regibus cogatur adesse, cogatur, inquam, adesse. Quod cum videbitis, tum, viri fratres, levate oculos, tollite manus, erigite animos; tempus illud est sublevandae ecclesiae. Tum vos orat et obtestatur servus Iesu Christi per adventum Domini et spiritum Dei nostri, ut curetis et efficiatis; ut haec scripta mea cum commendatione vestra et litteris publicis integra ac sincera in manus principum, qui concilio aderunt, fideliter perveniant, ut spiritus cupidissimus gloriae Christi, qui mihi in scribendo adfuit, pungat corda magnorum principum, ut iubeant de tantis

rebus pontificem Romanum, episcopos, asseclasque eorum causam dicere, et hoc testimonium cum actione semel atque iterum legi et expendi, atque examinari diligenter ab iis, qui praefecti concilio purgabunt ecclesiam Dei. Vos interea valetate, boni et fideles ministri et defensores evangelii. Caritas Dei et communicatio Spiritus sancti et pax Domini nostri Iesu Christi sit cum omnibus vobis. Amen.

## AONII PALEARII VERULANI

TESTIMONIUM AD GENTES ET NATIONES  
QUAE INVOCANT NOMEN DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI.

Quod bonum faustum felixque sit piis, invictis, augustis principibus universoque populo christiano; in id tempus venimus, in quo firmum et sanctum testimonium pro Christo est dicendum. Nam quod superioribus annis, mitra, virgis, igne et reliquis terroribus propositis, sic viximus, ut neque fidem neque observantiam neque pietatem in Christum declarare potuerimus, habuit fortasse ea res excusationem; quod, etsi omnia pericula subiissemus, nullam tamen praeclaram aliquam opem afferre videbamus fratribus nostris, qui hoc ipsum sublevandae reipublicae tempus exspectabant. Id nunc cum oblatum sit ab ipso Deo et patre Domini nostri Iesu Christi auctore omnium commodorum nostrorum; quid est, viri fratres, quod timeamus? quid est, quod ludibrio esse hominibus, virgis caedi, in ignem coniici, pro testimonio sancto dicendo recusemus? Non proponuntur haec nunc primum iis, qui Christum sequi volunt. Veniat obsecro in mentem, iisdem poenis in conciliis, magna hominum frequentia (ut praedixerat Dominus Iesus), condemnatos sanctissimos viros illos, qui patrum nostrorum memoria pro testimonio Christi dando vitam cum sanguine profuderunt. Omnia feremus facillime, si nos cohortati, non quomodo in vita, cum Satanae commentis oppresso evangelio filii Dei, manendum; sed quomodo, excitatis fratribus, ad Christum pro Christo decedendum sit,



constituerimus. Id quoniam non verbis sed sanguine testatum posteris est relinquendum: Ego Aonius, servus Iesu Christi, firmissimum testimonium dico ea lege ut, si necesse sit, mori non recusem pro ea fide, quam debeo Christo auctori pacis et salutis meae.

#### Testimonium I.

Tempore apostolorum multi pseudoapostoli exstiterunt, qui cum in credentium numero haberentur veluti legis doctores, ut sensim a Christo abducerent, umbris obscurare lucem a Christo allatam, beneficium sanguinis Christi obtegere, sanctificationem per spiritum Dei nostri imminuere, aut velare reductione aut imitatione mosaicae legis coeperunt; de qua re conqueritur Paulus in epistolis, Iacobus item et seniores in *Actis apostolorum* illis verbis ad Paulum: — « Vides, frater, quot millia sunt credentium, et omnes aemulatores sunt legis ». — Iohannes item quosdam proprio vocabulo appellat « antichristos »; « et nunc — inquit — antichristi multi sunt ». Quamobrem nihil est mirandum, si post obitum apostolorum, instigante diabolo, hoste gloriae Christi et salutis nostrae sempiterno, nonnulli umbras et legalium speciem, pietatis fuco adposito, ut in iis fiducia esset, reducere audacius tentarunt, ut adimpleretur verbum Domini, quod factum est ad Esaiam prophetam: « Elegerunt omnia haec in viis suis, et in abominationibus suis delectata est anima eorum ».

#### Testimonium II.

Credibile non est, doctrinam ex traditionibus apostolorum aliam fuisse ab ea, quam scriptis testatam reliquerunt. Verisimile potius est fuisse eius, quae scripta est, quam simillimam. Itaque si qua ex traditionibus doctrina circumfertur, quae vel illorum scriptis repugnet vel aliud evangelizet, minime esse apostolorum, sed pseudoapostolorum, qui fortasse Pauli et apostolorum discipuli dici voluerunt, et prodierunt fortasse ex illis,

sed in unitate doctrinae eorum non perstiterunt; quamobrem clamat Iohannes: « Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis; haec scripsi vobis de his, qui seducunt vos ».

#### Testimonium III.

Pontifices Romani iam multis ac multis saeculis secuti sunt aemulatores legis, aemulatione legalium beneficium sanguinis Christi obtexerunt, offuderunt tenebras doctrinae apostolicae, ut apostoli verbo utar, « converterunt evangelium Christi ». Id facile fuerit exemplis planum facere. Itaque ut ea, quae praedicta fuerant per Spiritum sanctum, complerentur: « Homo in templo Dei sedens, ostendens se tamquam Deus, operatus est mysterium iniquitatis ».

#### Testimonium IV.

Tentaverunt pontifices Romani Deum, cum pro suavissima gratia Domini nostri Iesu Christi, per quam credimus servari, imposuerunt onus grave innumerabilium praeceptorum, reclamante Petro et Paulo, sanctissimis apostolis. Neque vero est dubitandum pontifices, scribas et pharisaeos Hierosolymanos gessisse typum horum nostratium, de quibus dixit Dominus: « Alligant onera gravia et importabilia et imponunt in humeros hominum ».

#### Testimonium V.

Non dubitant, qui spiritu Dei aguntur, Spiritum sanctum locutum esse per Paulum apostolum, cuius evangelium sanctum est. Itaque qui Pauli instituta reiciunt, Spiritum sanctum reiciunt, in quos adhuc clamat apostolus: « An experimentum quaeritis eius, qui in me loquitur Christus? ». Huius apostoli doctrinam et instituta ita sustulerunt pontifices Romani, ut qui eorum sedem apostolicam appellent, quod Pauli doctrinam sequantur, dicant malum bonum et bonum malum, ponentes lucem tenebras et tenebras lucem.

## Testimonium VI.

Pontifices Romani non sunt veriti rescindere verbum Dei, ut firmarent traditiones hominum, quos in spiritu vidit propheta Ieremias dicens: « Et porvertistis verba Dei viventis, domini exercituum Dei nostri ».

## Testimonium VII.

Arroganter fecere homines et perverse, qui Christi praecepta consilia appellarunt, ut eo verbo minus adstringi videamur; sanctiones autem pontificias praecepta dici voluerunt, cum contra humana illa consilia et commenta erant appellanda, atque habenda; divina vero haec, quibus verissime sumus adstricti, praecepta, de quibus non ego dico sed Dominus: « Qui solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines minimus vocabitur in regno coelorum ».

## Testimonium VIII.

Hominum commenta, pontificum decreta, conciliorum sanctiones, quaecumque scriptae lataeque sunt contrariae evangelio Iesu Christi et actis institutisque duodecim apostolorum, canonicis libris scriptis, daemoniorum doctrinam esse, neque potuisse ab hominibus conveniri in nomine Christi et congregari in Spiritu sancto contra Christum, dicente Domino: « Qui non est mecum, contra me est, et qui non congregat mecum, spargit ».

## Testimonium IX.

Et quoniam pharisaici homines, habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes, qui veluti Iannes et Mambres restiterunt Moysi ita et ipsi resistunt veritati, interpellatione facta, sperant se posse illudere populo Dei; occurrendum est. Obiiciunt enim: « Qui scitis, hos libros esse canonicos? qui scitis Christum esse filium Dei? dicimus ab ecclesia, veluti Samaritanos, audivisse de Christo et de iis libris ». At ubi



mysterio Dei inenarrabili ad Christum venimus, revelatum nobis neque per carnem, neque per sanguinem, sed per patrem Domini, qui in coelis est, et per Spiritum sanctum, divinum quiddam mirabiliter esse impressum atque inustum in cordibus nostris, ita ut baptizati Spiritu sancto et igne, firmitatis et non superbiae pleni, dicamus verbis evangelicis: « Quia non propter tuam loquelam credimus; ipsi enim scimus, quia hic est vere servator mundi, filius Dei vivi ». Ita et spiritus Dei testatur spiritui nostro, quod per Matthaeum, Marcum, Lucam, Iohannem, Paulum, Iacobum, Petrum, Iudam Iacobi fratrem evangelizatum est et scriptum, quod unum est et idem, esse sanctum evangelium Iesu Christi, et quod hi libri, quos legimus, verissimi sunt, et quod scimus loquimur; et scientia nostra verax est, non ab homine, neque per hominem, sed quia unctio, hoc est, ipse Spiritus sanctus, qui hoc nomine in scripturis appellari consuevit, docet nos. Quamobrem inquit fidelis Iohannes: « Nec necesse habetis ut aliquis vos doceat, sed sicut unctio eius docet vos de omnibus, et verum est et non est mendacium ».

Testimonium X.

Ecclesia Dei sancta semper nixa est verbo Dei. Ante adventum Domini sustentata est verbo Dei per prophetas; Christi tempore testimonio scripturarum defensa est verbo Dei per ipsum etiam Christum; post ascensionem Domini in coelum apostoli, paraclete accepto, defenderunt, administrarunt, probaverunt omnia verbo Dei; lectissimi viri, quos Deus praedestinarat ante mundi constitutionem, suggerente Spiritu sancto, evangelizarunt verbum Dei unum et idem ea conditione, ut in perpetuum qui aliud evangelizet et doceat anathema sit. Qui igitur scriptis canonicis coërceri nolunt et ut auctoritate superiores sint verbo Dei contendunt, neque putant audiendum, si contra eorum traditiones scripta divinitus adducantur; manifeste reprobis sunt; et eorum sententiae standum non est, quod ad ecclesiam Dei nihil attineant, dicente Domino: « Qui ex Deo est verba Dei audit; propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis ».

## Testimonium XI.

Scripta peritorum hominum, quantalibet ii sanctitate doctrinaque sint, nullo modo cum scripturarum canonicarum excellentia comparari posse monet Augustinus. Huic sententiae consona est illa Cyrilli: « Optimum fuerit, Hermia, non curare aliorum procacitatem, qui probatam mentem nobis auferunt, sed magis fidei canonem rectum et non perversum, hoc est, sermones ab apostolis factos, nec aliis quam illis applaudere nos decet, ac dicere: — Non vos estis, qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis — ».

## Testimonium XII.

Interpretes quos doctores vocant, oratorum, poëtarum, philosophorum perstudiosi fuerunt, nonnunquam abierunt in commenta cogitationesque eorum. Non protinus ergo asserenda, quaecumque ab illis dicta sunt, sed expendenda verbo Dei; scriptum est enim: « Et interpretes tui praevaricati sunt in me, et venerunt structores tui destruentes te, et dissipantes a te exhibunt ».

## Testimonium XIII.

Commentum ignis purgatorii a pythagoricis, platonice et poëtis magna ex parte esse sumptum, per assertionem eius commenti, remissionem peccatorum infringi, reclamantibus omnibus prophetis, sanguini testamenti singularem iniuriam fieri, apostolis longe aliter docentibus, « ne evacueretur crux Christi ».

## Testimonium XIV.

De coena Domini sacramentum est sanctissime institutum a Christo, quod a Paulo caeterisque apostolis, et discipulis Domini, et multis postea saeculis, quibus optimi fuerunt Christiani, summa diligentia est observatum. Verum in hoc ut in caeteris videndum, ne arrogantia quorundam, qui omnia sibi licere

putarunt, itum sit in abusus. Quod si ipse apostolus in hoc ritu nihil sibi temere faciendum putavit, quam moderationem adhibere caeteri debuissent, facile intelligimus. Quid autem inquit apostolus? « Ego enim accepi a Domino quod et tradidi vobis ».

## Testimonium XV.

Preces, rogationes publicae, imprudenter fortasse nonnullae irrepserunt rudibus saeculis, nonnullae superstitionis. Quamobrem in hanc quoque curam est incumbendum, viri Dei, ut sint purae castaeque deprecationes, modique orandi evangelici, ut et imperiti etiam bene petere assuescant. Verba enim apostoli commonefacere nos debent: « Petitis et non accipietis, eo quod male petatis ».

## Testimonium XVI.

Magna est licentia episcoporum et clericorum, qui, ut vitae integritate et innocentia in ecclesia lucerent, quasi divinum aliquod lumen, ampla ab imperatoribus et regibus privilegia sunt assecuti, quibus freti in omne genus sceleris irrumpunt, et coerceri legibus civilibus non possunt; quae sicuti iustis olim de causis fuere concessa sic nunc iustis de causis possunt tolli. Quae multa ex scriptura divina adducunt pontifices Romani, ut eorum decreta fulciant, ne omnino accusentur, ne in eos animadverti possit, ne iudicia subeant, durissime esse detorta et nulla esse. Pleraque enim, quae de Christo Domino dicta sunt, sibi arrogant: nonnulla, quae ad fideles omnes aequae spectant, veluti ad se solos dicta convertunt; multa ieiune collecta inanem verborum volubilitatem habent, praeterea nihil. Posse nunc imperatorem Romanum et reges principesque reipublicae christianae privilegia, quibus illi abusi sunt multis saeculis, abrogare, edictum proponere, ut quorum vita spectatae non fuerit integritatis, a plebe sancta et populo Dei de gradu deici possint, et alii spectata vita et doctrina substitui, ut spiritus, quem Deus suscitabit in populis, « vendentes et ementes in templo eiciat, et mensas nummulariorum et cathedras vendentium columbas evertat ».

## Testimonium XVII.

Non modo non haereticos sed pios esse eos, qui firmiter crediderint, ecclesiam Dei esse aedificatam super petram Christum. Hanc opinionem si secuti fuissent episcopi Romani, minus haberemus abusu et abominationum. Freti enim ea opinione, quod super petram, hoc est Petrum, et, ut ipsi deducunt, super pontifices Romanos et eorum doctrinam aedificata sit ecclesia Dei, in quae non manus intulerunt? quid non sibi licere putarunt? ut scriptura impleretur, « arrogancia tua deceptit te, et superbia cordis tui, qui abitas in cavernis petrae, et apprehendere niteris altitudinem collis; grex perditus est factus populus meus, pastores eorum seduxerunt eos ».

## Testimonium XVIII.

Quoniam aliqui non contemnendi auctores asseruerunt, ecclesiam Dei aedificatam super petram Petrum; nihil ex ea re plus habere pontifices Romanos, quam caeteros episcopos, qui non habent ea, ob quae amanter dicta sunt illa Petro, cuius vitae exempla, quae ex actis apostolorum colliguntur, ita minime sunt imitati; doctrinam vero, quae ex apostoli huius scriptis habetur, ita passim Romani pontifices proculcaverunt et everterunt, ut Petri eversores potius quam successores sint appellandi, per quos, inquit apostolus Petrus, « via veritatis blasphemabitur, et in avaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur ».

## Testimonium XIX.

« Revelatur ira Dei — inquit apostolus — super omnem impietatem et iniustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in iniustitia detinent; quia, quod notum est Dei, manifestum est in illis »: at cum cognovissent, quod Dominus Iesus factus est nobis salus, sapientia, a Deo, iustitia et sanctificatio, non glorificaverunt aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum, et contulerunt

gloriam unigeniti Dei rebus inanimatis, ita ut genuflecterent, et adorarent illas, et peterent in sanctificationem. Propter quod Deus tradidit eos in caecitatem, ut facerent ea, quae non convenirent; sicut praedixerat Spiritus sanctus per os Pauli, quod futuri erant (videte iam, si revelata est ira Dei super hominum impietatem; animadvertite si bene expressi sunt pontifices Romani, et eorum asseclae, qui veritatem Dei in iniustitia detinuerunt) « homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, protervi, tumidi, et voluptatum amatores magis quam Dei, habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes, homines corrupti, reprobi circa fidem; sed ultra non proficient, insipientia enim eorum manifestabitur ».

Testimonium XX.

Malae consuetudines, abusus, abominationes publico edicto tollendae. Bacchanalium enim speciem habemus, ludorum speciem, simulacrorum abusus. Neque enim abest, quin infirmitas humana, instigante Satana, ut Deos olim, divos morbis praefecerit, ita ut ad Petri fanum Romae templum Febris sit, divae Mariae titulo. Nec brutis deest patrociniū sanctorum, applaudentibus pontificibus Romanis. Fornicari impune licet; scorta ubique publica, ita ut Romae superioribus annis censa sint meretricum publicarum capita ad decem millia; earum quaestus portionem quandam sibi pendere iubent, sicut et a Iudaeis pontifices, quod foenerari impune permittant, centesimam exigunt. Acerbissimae vero exactiones, crudelissimi dominatus, simoniae, doli, Spiritus sancti venditiones et emptiones, et caetera abominanda sic Romae regnant, ut qui Christi spiritum habent, liquido videant scriptum in fronte curiae Romanae: « Babylon magna mater fornicationum et abominationum terrae ».

Cum tot tantasque abominationes, abusus, incommoda, offencicula, praevaricationes invexerint pontifices Romani, collegae

et asseclae eorum; in iis ipsis diiudicandis pontifices Romani, collegae et asseclae eorum iudices esse non debent. Quis enim nesciat, si eorum iudicio standum sit, quibus ille stipatus sedet, quos ipse sibi adesse iussit, tamquam membra sui corporis, tales nos habituros sanctiones, quales illi semper probaverunt? Quid enim hosce homines aliud in conciliis voluisse et hodie velle creditis, nisi decreta eorum magna populorum et principum frequentia firmari, ut cinerem habeant, quem in principum oculos spargant, et post paucos annos iura humana atque divina confundentes saeviant in eos, qui hiscere ausint, universos? An putatis in hac pompa venisse spiritus remissuros? an de magnis censibus et luxu ultro decessuros? Homines ardentis cupiditate et Satanae coeno obvolutos experti toties, nescimus quid ferant nebulae istae turbinibus exagitatae? « Terra — inquit vir Dei — saepe venientem super se bibens imbrem, et germinans herbam opportunam illis, a quibus colitur, accipit benedictionem a Deo; proferens autem spinas et tribulos, reproba est et maledicto proxima ». Tanta ergo existente corruptione episcoporum et praefectorum ecclesiarum, ut videamus abominationem sedentem in loco sancto, confugiendum est ad montes, ad principes populi tui. Itaque testimonio dicto servus Iesu Christi orat, obsecrat, obtestatur vos, principes reipublicae christianae, in quos omnium gentium, omnium nationum oculi conversi sunt, per adventum Domini nostri Iesu Christi, ut omni studio et diligentia incumbatis in hanc curam. Illucescet in cordibus vestris Dominus Iesus, qui est testis fidelis, qui est imago patris, in quo tenebrae non sunt ullae. Suscipite hanc curam, dignam animis vestris, principes. Ad finem operis perventum est. Perfacile est vobis ex civitatibus et provinciis, quae invocant nomen Domini nostri Iesu Christi, deligere, qui de tantis rebus iudicent, viros metuentes Deum, quos parvulos et lactantes ubera appellat propheta Ioël: quod est, non qui se praelatos esse et vocari volunt, (« congregare — inquit — parvulos et lactantes ubera »), non corruptos, non avaros, non tumidos homines, nulla acceptione personarum, sed quos vobis spectata vita et eruditione sanctarum scripturarum testabitur esse plebs sancta

Dei. Quae est illa plebs sancta Dei? Populus ipse vester, populus acquisitionis, regale sacerdotium, gens sancta, quam is, qui de tenebris vos vocavit in admirabilem lucem suam, sibi prae-destinavit ante mundi constitutionem, pro qua se ipsum tradidit Christus, ut illam sanctificaret, mundans eam lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet sibi gloriosam ecclesiam, non habentem maculam aut rugam.

Quis autem dubitet, sanctissimos viros communi bono republicae christianae delectos ab huiusmodi ecclesia sancta Dei, posse iudicare de tantis abominationibus et corruptione episcoporum quanta nulla unquam fuit? qui partim (quod magno cum animi mei sensu et dolore dico) in episcopatum proveci sunt lenocinio sororum et adulteriis impurissimis pontificibus conciliati; partim Spiritus sancti venditione assumpti; partim in spiritu mammonae iniquitatis, ut magnis censibus pontifices et eorum asseclae suos augerent; nonnulli pileo ad servitutum coempti sunt, et paulo ante sagina et largitione saturati a pontificibus Romanis ut eorum regnum stabiliant abominationum mole nutans. Quod si qui sunt, qui vitae probitate et peritia scripturarum divinarum in episcopatum proveci fuerint boni viri; eos hoc signo dignoscetis, principes, si rogati a vobis non recusabunt iis, quos plebs sancta delegerit ad iudicandum, manus imponere atque orare, ut accipiant virtutem supervenientis spiritus, ut bonorum episcoporum praeclare ratione habita, pseudopastorum impurissimo coetui plena Spiritu sancto sancta canat ecclesia verbum Domini, quod factum est ad Ezechielem prophetam. Haec dicit Dominus: «Vae pastoribus Israël, qui pascebant semetipsos, nonne greges a pastoribus pascuntur? Lac comedebatis, et lanis operiebamini, et quod crassum erat occidebatis; gregem autem meum non pascebatis, quod infirmum fuit non consolidastis, et quod aegrotum non sanastis, quod confractum est non alligastis, et quod abiectum est non reduxistis, sed cum austeritate imperabatis et cum potentia; et dispersae sunt oves meae, eo quod non esset pastor, et factae sunt in devorationem omnium bestiarum agri, et dispersae sunt. Erraverunt greges mei in cunctis montibus et in universo colle



excelso, et super omnem faciem terrae dispersi sunt greges mei, et non erat qui requireret, non erat, inquam, qui requireret. Propterea, pastores, audite verbum Domini. Vivo ego, dicit Dominus Deus, quia pro eo, quod facti sunt greges mei in rapinam, et oves meae in devorationem omnium bestiarum agri, eo quod non esset pastor (neque enim quaesierunt pastores mei gregem meum, sed pascebant semetipsos et greges meos non pascebant); propterea, pastores, audite verbum Domini, haec dicit Dominus Deus, ecce ego super pastores, et requiram gregem meum de manu eorum, et cessare eos faciam ut ultra non pascant gregem meum ». Hoc verbum Domini, si per principes christianos liceat, pseudopastoribus canet ecclesia, a quibus abominationes, abusus, tenebras, praevaricationes, incommoda, offendicula, et mala incredibilia invecta esse in omnes provincias populi Dei testor, assero, atque adfirmo ego Aonius, servus Iesu Christi, qui multos annos avidissime hunc diem exspectavi, quo orare, obsecrare et percommode commonere possem fratres meos non odio, (scit Dominus), non invidia, non ostentatione dolove malo adductus, sed amore sanctae veritatis et gloriae Christi, in cuius rei fidem scriptum hoc dedi per capita, de quibus singulis recipio me plenius dicturum, si quid item ad testimonii firmitudinem facit, libenter vitam positurum pro veritate. Quod testimonium caste, sincere, et integre dictum si quis contemnit, contempserit; voco ego eum, quisquis is est, ad Christum, regem omnium gentium omnium saeculorum, ad quem nunc provoco, ante cuius tribunal, o homo, quisquis es, sisti te oportet paucos abhinc dies, de hac ipsa re, quod mihi operam non dederis, redditurum rationem. Id iam non dico ego, sed is, qui me bene animat, qui obtestari iubet, cui testimonium do, Iesus Christus filius Dei, iudex vivorum et mortuorum.

## AONII PALEARII VERULANI ACTIO

EX DECLARATIONE TESTIMONII IN PONTIFICES ROMANOS ET EORUM  
ASSECLAS, AD PRINCIPES CHRISTIANOS, ET PRAEFECTOS CONCILIO,  
IN QUIBUS HABITAT SPIRITUS DEI.

Cum eo consilio domo exissem, ut emitterem aliquando vocem dignam homine christiano, non eram nescius, quae pericula essent adeunda, qui suscipiendi labores, in quas angustias esset veniendum. Neque enim parvi aut obscuri erant terrores isti pontificii, in quos mihi necessario incidendum videbam, si in testimonio dicendo Christi causam suscepissem. Non enim una, non una stare possunt pontificiae sanctiones et evangelium Dei. Illud ut reicerem, quod mihi in visceribus et animo haeret, non poteram; has ut oppugnarem, deterrebat crudele atque atrox imperium pontificum Romanorum, a quibus iam multis saeculis, si qui ad eorum pedes abiici et provolvi respuerunt, Caesares et summi reges magnis molestiis et difficultatibus affecti, civitates amplissimo nomine publicis execrationibus devotae, populi ingentes in numero impiorum habiti et veluti ex orbe nostro exacti sunt atque exclusi. Quod si neque tantis fortunae muneribus quisquam neque vitae sanctitate adhuc fuit, qui nisi ad eorum nutum et voluntatem loqueretur, diem sibi periculo et ignominia vacuum polliceri posset; quid ego sperare debebam ab omnibus rebus imparatissimus, homo inops atque egens, excitaturus in me acerbissimum odium atque invidiam summorum pontificum? In quam cogitationem cum incubissem, multa versabantur ob oculos. Videbam ego me praeter Christum,

cui me devovi, omnia vitae praesidia amissurum, nihil esse reliqui ad existimationem et dignitatem, abalienatum iri magnos viros pontificiarum partium, a quibus ego beneficia permulta accepta, malevolentiae signa nulla possum commemorare; quae multorum annorum studio et diligentia adiumenta mihi compararam ea omnia una hora amittenda intelligebam; non modo agello quo me sustentabam esse carendum, sed cognatos, propinquos, amicos, uxorem optimam, suavissimos liberos relinquendos, excedendum Italia, abeundum in solitudines, aut in carcere habitandum et in suppliciis moriendum: quae cum in ipso discessu meis necessario aperuissem, ut liberos alicui commendarem, nolite quaerere, quam omnia domi reliquerim dolorum et lacrymarum plena. Quae non eo dico, viri christiani, quo me constantiae et fortitudinis pigeat, sed ne in suspicionem cadere possit, me vel odii vel commodi alicuius causa vel rogatu cuiusquam accessisse ad dicendum, aut pecunia subornatum, aut praemii spe aut cupiditate aliqua adductum. Quicquid in hac causa suscepti, divinae legis a pontificibus Romanis violatae, religionis confusae, evangelii eversi causa suscepisse confirmo, maximique aestimo conscientiam mentis meae, quae a Christo accepta a me divelli non potest, tantumque abest, ut gratiam mihi ex ea re quaesisse videar, ut permagnas inimicitias initas intelligam, non obscuro fortunarum omnium et capitis periculo; quae omnia feram toleranter, relicta uxore, liberis, propinquis, amicis. Rebus omnibus amissis consolabor ipse me, si apud vos, viri principes, qui vestra sponte satis incitati esse debetis, mea oratione sensero aliquid accessisse ad defensionem evangelii filii Dei. Haec mens mea est utinam tam felix quam pia. Causa certe ea suscepta est, contra quam nihil honeste dici potest.

Quid ergo vereor? Inveteravit, viri christiani, opinio falsa et perniciosa non modo in vulgus imperitorum sed aliquando apud reges et Caesares, quique sint sanctissimos esse et beatissimos pontifices Romanos, eos omnes divino quodam auxilio regi et numine afflari, et in ea causa quae de religione est aberrare nunquam potuisse. Magnum est atque difficile

veterem consuetudinem, quae iam naturae vim obtinet, evellere ex animis hominum, cum praesertim quorundam opera magnis propositis praemiis magnus exsudatus sit labor, ut pontificum male parta, male gesta, male retenta imperia non modo censibus et armis, sed etiam commentationibus eruditorum firmarentur; iis praestigiis, multis iam saeculis acies ingeniorum perstrictae sunt: extorta enim et vulgata fallaci interpretatione aliqua ex sanctissimis libris, qui sunt nobis scripti divinitus, non modo fortunis et corporibus hominum sed animis, non modo animis sed evangelio Dei manus et vim impune intulerunt. Reges apud omnes gentes et nationes sacrosancti verissime sunt et habiti fuerunt semper; si tamen moribus minime antiquis, minime humanis fuere, quid obsecro illis profuit regium nomen antiquum, magnum et sanctum? Vita pontificum Romanorum quaeque fuerit, nihil nocuit regno pontificum. Quod non eo dico ut eos rapiam in invidiam ex istis ipsis quae audire consuevistis et notissima sunt, et ex historiis repeti possunt, sed ut cum vestra bona venia petam ut veritatem ducem, apostolis commonentibus, sanctissimis viris commonstrantibus, non inverteatam istam opinionem sequamini. Vehementer enim mihi opus est vestra sapientia, principes christiani, dum sica illa Christo vestro intentata, gladius ille quo rescissum est verbum Dei e pontificum manibus extorqueatur. Peto per Iesum Christum ut id animis vestris quam lubentissimis fiat, neve interea tacitae cogitationes ex veteri consuetudine recursent, neve ex consiliis quorundam prudentia animis vestris haereat ea, quae Dei inimica obstringit, et circumscribit gloriam Christi; eiusmodi consilia perdita ac dissoluta quaecumque sunt reicite, principes: aut hoc negotium suscipi non oportuit, aut geri pro dignitate Christi, regis omnium gentium, omnium saeculorum, per quem peto, si quid veritas ipsa aperiet, si quid Spiritus commonebit, ne repugnetis, adeste animis omnes, et pro maiestate vestra, principes, tuemini verbum Dei, pro animorum vestrorum propensione in Christum existimate vos pro tempore, dum de apostolica doctrina sublata dicimus, apostolos ipsos esse, dum de evangelio everso querimur, fingite vos scriptores esse evangelii.

Ita facile de omni re iudicabitis, in cognitionem omnia bene cadent, veritas ipsa sese in lucem proferet, cuius ego cupidissimus testimonium diebus superioribus scriptum dedi.

At quoniam eius firmitudinem non in verborum volubilitate sed in re ipsa positam arbitror, missa nunc faciam dicendi ornamenta, quae in alia causa fortasse me delectassent, in ea, quae Christi est, qui istis adiumentis non eget, minime delectant. Quod eo facio libentius, ne quis putet me gloriae umbram quaerere, aut aliud quid praeter gloriam Christi, qui per apostolum monet, ne quis nos fallat sublimitate orationis. Tenue itaque et humile dicendi genus sequar; et libenter profecto lingua vulgari et patria de his agerem, quo minus viderentur haec elaborata, et exquisita industria, nisi apud eos sermo esset, quorum nonnulli italice nesciunt, latine omnes sciunt, quos quidem verborum ornatum a me desiderare facile patiar, at testimonii integritatem, sinceritatem, constantiam, qua me bene animavit Christus meus, spero non desideraturos. Vestra itaque humanitate fretus, quoniam theologi alia prope lingua loquuntur, utar eo genere dicendi, quod etsi abhorret a sermone eloquentium hominum huic tamen causae proprium est et accomodatum. Causa haec quoniam una et simplex non est, sed coniuncta et multiplex, testimonium per capita dedi, ut suo quaeque loco atque ordine dicerentur. Est enim id mihi ad agendum aptius et vobis ad iudicandum facilius. Itaque veluti declaratione, in singulis capitibus tantum insistam quantum ad veritatis illustrationem duxero necessarium.

## RECITA CAPUT PRIMUM.

Tempore apostolorum multi pseudoapostoli extiterunt, qui cum in credentium numero haberentur, veluti legis doctores, ut sensim a Christo abducerent, umbris obscurare lucem a Christo allatam, beneficium sanguinis Christi obtegere, sanctificationem per spiritum Dei imminuere, aut velare reductione aut imitatione mosaicae legis coeperunt: de qua re conqueritur Paulus in epistolis, Iacobus item et seniores in *Actis apostolorum*, illis verbis ad Paulum: — « Vides, frater, quot millia sunt credentium, et omnes aemulatores sunt legis ». — Iohannes item quosdam proprio vocabulo appellat antichristos; « et nunc — inquit — antichristi multi sunt ». Quamobrem nihil est mirandum, si post obitum apostolorum, instigante Satana, hoste gloriae Christi et salutis nostrae sempiterno, nonnulli umbras et legalium speciem, pietatis fuce adposito, ut in iis fiducia esset, reducere audacius tentarunt, ut adimpleretur verbum Domini, quod factum est ad Esaiam prophetam: « Elegerunt omnia haec in viis suis, et in abominationibus suis delectata est anima eorum ».

## Declaratio testimonii I.

Epistola scripta est a Paulo *ad Galatas* in pseudoapostolos istos, qui etsi in credentium numero haberentur, erant tamen aemulatores paternarum traditionum, ceremonias, ut per totam epistolam testatur apostolus, non reici debere contendebant, immo vero necessarias esse ad salutem. Incredibilis fuit horum hominum vis; id ex eo liquet, quod eorum concursu tota Hiero-

solyorum civitas commota est, et accurrente tribuno cohortis cum militibus et centurionibus vix servatus Paulus; tantae illorum irae, tantus furor, quamobrem? Quia discessionem docebat a Moyse. Sunt haec omnia integerrime sumpta ex *Actis apostolorum*. In iisdem *Actis* legimus, ex haeresi pharisaeorum credentium surrexisse hosce pseudoapostolos, qui praeciperent ceremonias servari; ab iis facta est seditio illa, qua Petrus timore ingenti percussus est et magni apostoli. A nullo hominum genere magis semper periculum fuit evangelio Iesu Christi quam ab aemulatoribus legis, non tam quod numero et concursu ingenti plurimum possent, quam quod fucus pietatis in aemulatione legis pulcherrime apponitur. Nihil est, viri christiani, quod maiorem labem aliquando attulerit sanctae religioni; nam qui ceremonias populo restituunt, pietatis speciem videntur restituere, quod assignatae illae a Deo sint ad suum cultum et gloriam. Quantum vero a Christo abducere possunt, quantum cum evangelio pugnant, nemo unquam intelliget qui Christi Domini mentem et doctrinam apostolorum nolit intelligere. Apostoli in legalibus reiciendis sicut et pie quidem hoc tempore eo laborarunt, quod ii qui ceremoniis favebant attinere videbantur ad ecclesiam, cuius unitatem apostoli, quia Christum a patre petiisse ut unum omnes essent recordabantur, nolebant dividere, et propterea indigna quaedam tulere aliquando non modo alii, sed Petrus et Paulus, qui — obsecro — apostoli! Petrus visus est hac tolerantia et dissimulatione cogere gentes iudaizare, Paulus Timotheum circumcidit; at cum ea via (ut apostoli verbis utar) non recte ambularetur ad veritatem evangelii, Petrum coram omnibus reprehendit Paulus et acclamavit: — « Si circumcidamini Christus nobis nihil proderit ». — Quid hoc est? Unum legale recipientibus nihil prodest Christus: « Dies observatis et menses et tempora, timeo vos ne forte sine causa laboraverim in vobis ».

Quae est via qua recte ambulatur ad veritatem evangelii? quaeso vos adeste mihi totis animis; ea est quam docet Petrus apostolus: « Dominus Iesus, postquam resurrexit a mortuis, praecepit praedicari quia ipse est qui constitutus est a Deo iudex vivorum et mortuorum, cui omnes prophetae testimo-



nium perhibent remissionem peccatorum accipere per nomen eius ». Et in epistola inquit: « In sanctificatione Spiritus, per adspersionem sanguinis Iesu Christi ». Paulus, qui plura scripsit, tractat haec copiosius; ne ex legalibus pendeamus clamat: « Christus factus est nobis sapientia a Deo, iustitia, sanctificatio et redemptio »; neve in mentem cadere possit, nos ex ceremoniis mundari, sanctificari aut iustificari, colligit: « Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis, in nomine Domini Iesu Christi, et in spiritu Dei nostri ». Id autem ne per aliud nos habere opinemur quam per sanguinem Iesu Christi, scribit *ad Romanos*: « Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quae est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem iustitiae suae in remissionem delictorum ». Et *ad Ephesios*: « Deus praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum, in ipsum, secundum propositum voluntatis suae, in qua conciliavit nos in dilecto, in quo habemus redemptionem per sanguinem eius in remissionem peccatorum ». Sit ergo caput hoc firmum et sanctum: remissionem peccatorum accipere per nomen Domini nostri Iesu Christi omnes qui credunt in eum, Christum esse iustitiam et sanctificationem nostram, neve in mentem cadat, in alio nos mundari, sanctificari aut iustificari, ablutos, sanctificatos, iustificatos nos esse in nomine Domini nostri Iesu Christi et in spiritu Dei nostri.

Haec est una atque eadem doctrina omnium apostolorum, omnium vere fidelium, quam si Deus per spiritum suum impresit in cordibus vestris, principes christiani, obsecro vos, ne deponatis beneficium iustificationis et sanctificationis animarum vestrarum. Hanc doctrinam si qui oppugnant, si qui adulterant, si qui obtegunt, quique sint, si vos illos esse memineritis qui esse debetis, hosce omnes pseudoapostolos cum Paulo appellabitis, antichristos cum Iohanne, quos ut discernamus, rogemus iam: — Cum Petrus et Paulus et verbo et scriptis saepe commonuissent non ex operibus legis sed per hanc fidem in Iesum Christum iustificari, cur non fuisset recte ambulatum ad veritatem evangelii,

si, ne credentibus illis offendiculo essent, perstitissent ut coeperant in dissimulatione et tolerantia ceremoniarum legalium? — Nam (omnes nos quidem scimus) mysteria fidei nostrae significata fuerunt umbris illis ceremoniarum, quod ut verbi causa ex Augustino recitem, educti sumus ex Aegypto, ubi diabolo tamquam Pharaoni serviebamus, ubi lutea opera in terrenis desideriis agebamus; hinc educti, per baptismum tamquam per mare Rubrum Christi sanguine consecratum, mortuis omnibus inimicis nostris, qui nos insectabantur, id est, deletis omnibus peccatis, traiecti sumus, et reliqua. Nonne pium videbatur tenere istas dierum observationes, si non umbrarum ratione, significatione ipsarum? Certe videbatur. « Hac via — inquit apostolus — non recte ambulabatur ad veritatem evangelii »: quid ita? quia in populis multos necesse est esse infirmos, qui mysteria non capiunt, umbras pro rebus amplectuntur. Proni fuerunt semper infirmi ad superstitionem, quibus erat a sapientissimis apostolis consulendum, ut fugatis umbris lux certa proponeretur. « Remota est umbra — inquit Augustinus — ut nuda eorum luce frueremur; cum citius nihil titubet spiritu infirmorum, edocendi sunt populi ut rem ipsam capiant non umbras sequantur ». Si apostoli umbras tulissent in quos abusus non issemus? cum illis contra commentibus in tot iverimus. Ne qua ergo spes mundificationis, iustificationis, sanctificationis in ceremoniis et legalibus poneretur ab infirmis et contentiosis, et ut in Deum patrem, in Christum Iesum, in spiritum Dei nostri oculos, mentem animumque intenderent omnes, Petrus ceremonias confudit, omnibus christiane vesci docuit, non per legalia sed per gratiam Iesu Christi servari omnes; Paulus aemulatores legis, operarios subdolos, conversores evangelii et pseudoapostolos appellavit, ab ecclesia seiunxit; sensim enim beneficium sanguinis Christi obtegebatur, contumelia insignis fiebat spiritui gratiae. Sapienter itaque sanctissimi apostoli nobis consuluisse dicuntur, ut sciremus qua via recte ambularetur ad veritatem evangelii.

Nunc per humilitatem Christi oro atque obtestor vos, principes christiani, ne memoria deponatis piam obsecrationem, qua in principio usus sum quaque mihi utendum saepe intelligo, ut

pro maiestate vestra tueamini verbum Dei, dum doctrinam, dum mentem apostolorum vobis commendat servus Iesu Christi. Existimate vos apostolos ipsos esse. Doctrina apostolorum est remissionem peccatorum accipere per nomen Domini nostri Iesu Christi omnes qui credunt in eum, Christum esse iustitiam, sanctificationem nostram; neve in mentem cadat, in alio nos mundari, sanctificari, iustificari, ablutos, sanctificatos, iustificatos nos esse, quam in nomine Domini nostri Iesu Christi per sanguinem eius in spiritu Dei nostri. Mens apostolorum est umbras non esse repetendas, fruendum nobis luce allata per Christum, ut recte eatur ad veritatem evangelii; in ceremoniis non constituendam esse iustificationem aut sanctificationem, sed in spiritu Dei per sanguinem crucis; curandum ut a superstitione alieni populi et ab insidiis longe remoti, quibus appeti possent a diabolo, oculos, mentem, animumque intendant in Deum patrem, in Christum Iesum, in spiritum Dei nostri. Haec ego tam multis, viri christiani, quoniam immiscuit se in iis Satanas subdolos hostis salutis nostrae et gloriae Christi, atque (ut apostoli verbis utar cum de hoc ipso periculo ex ceremoniis ageret) «transfigurat se Satanas in angelum lucis, ut falsam pietatem indutus occidat specie religionis». Occasionem nactus est, viri christiani, a tempore usque apostolorum ab his aemulatoribus legis, qui nihil mirum videri debet si nonnullis sanctissimis viris, quod ii discessionem a Moyse docerent, crudeliter occisis, si Petro Hierosolymis Antiochiam et Paulo in urbem usque fugatis, audacius in incepto perstiterunt; nihil mirandum, si post obitum apostolorum vel iidem vel eorum liberi, patrumque traditionum aemulatores, qui in numero credentium haberentur, sicuti et patres eorum, admiscuerunt vel legalia vel species legalium litas Christianismo, ut apposito fuco pietatis reciperentur servarenturque a posteris pro salutaribus. Haec quae sint ostendemus. Ea si indigna, si ad aemulationem legis omnia conficta, si a doctrina et mente apostolorum longe aliena comperietis, peto a vobis, principes christiani, per eam fidem et operam, quam praestare debetis Christo, ut severissime iudicetis, ut diligentissime tueamini doctrinam apostolorum et evangelium Dei.

## RECITA CAPUT SECUNDUM.

Credibile non est, doctrinam ex traditionibus apostolorum aliam fuisse ab ea, quam scriptis testatam reliquerunt. Verisimile potius est, fuisse eius, quae scripta est, quam simillimam. Itaque, si qua ex traditionibus doctrina circumfertur, quae vel illorum scriptis repugnet vel aliud evangelizet, minime esse apostolorum, sed pseudoapostolorum, qui fortasse Pauli et apostolorum discipuli dici voluerunt, et prodierunt fortasse ex illis, sed in unitate doctrinae eorum non perstiterunt; quamobrem clamat Iohannes: « Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis; haec scripsi vobis de iis qui seducunt vos ».

## Declaratio testimonii II.

Caput hoc nemo oppugnabit, nisi qui velit esse maxime contentiosus. Positum est eo consilio, ne quem locum habeant adversarii, quo se victi recipiant. Huc enim se conferunt, non ut traditiones apostolorum, sed ut magnos abusus defendant. Aut enim scriptis quibusdam, quae cum doctrina et mente apostolorum pugnant, tuentur traditiones impias, aut consuetudinem inveteratam et longinquitatem temporis obiiciunt. Consuetudinem quantumvis inveteratam, si ea perniciosa est, evellendam esse radicitus pontifices ipsi concinunt. Longinquitatem temporis non negamus; immo vero superiore capite diximus, tempore apostolorum hosce abusus emanare ab aemulatoribus legis. In illud mihi potius est incumbendum, ut ostendam traditiones pontificum et abusus exstare ad aemulationem legis mosaicae; in quibus veluti legalibus fidere homines docentur, quae beneficium

sanguinis Christi obtegunt, sanctificationem per spiritum Dei velant, aliudque evangelizant. Quod longinquitas temporis obicitur, eo maior suspicio inesse debet, emanasse illas traditiones a pseudoapostolis, qui mirandum in modum conturbaverunt sanctos apostolos. Quo magis cavendum est, viri Christiani. Nam si constat, aemulatores subdolos illos legis sese apostolos appellari iussisse, vel dubitatis multa illorum commenta ab eorum asseclis apostolica fuisse appellata? Dubitandum item ne qui vel libri vel epistolae ab illis et eorum studiosis scriptae, prodierint subditio nomine discipulorum Pauli vel alterius apostoli. Nam, ut de antiquis auctoribus taceam et latinis et graecis, si Augustino et quibusdam aliis interpretibus multi libri falso adscripti sunt, quid putatis fugisse id fallendi genus subdolos homines pseudoapostolos, ut scilicet auctoris nomine reciperentur a fidelibus eorum commenta? Haec ne quis a me fingi putet, recitemus Pauli apostoli verba componentis atque obstantis: « Rogamus autem vos, fratres, per adventum domini nostri Iesu Christi, ut non cito moveamini a vestro sensu, neque terreamini, neque per spiritum, neque per sermonem, neque per epistolam tamquam per nos missam ». Quid hoc est, « neque per epistolam tamquam per nos missam? » Ex ea etiam, quae est *ad Galatas*, id etiam colligi potest, cum evangelii nomine linirent eorum commenta aemulatores legis. Haec eo a me dicuntur, ne qui, ubi abusus et traditiones pontificias pseudoapostolorum esse contendam, quae beneficium sanguinis Christi obtegunt et sanctificationem spiritus, illi ad epistolas et libros quorundam recurrant, qui neque scriptionis aut imitationis genere ullo, styli et spiritus apostolici quicquam habent, quo Pauli vel cuiusquam apostoli discipulum possis agnoscere. Quae scripta vel ex eo maxime sunt repudianda, quod eorum doctrina repugnat evangelio Dei, doctrinae et menti sanctorum apostolorum et discipulorum Domini, quorum traditiones simplicissimae, purissimae, castissimae nihil sapiunt, nihil redolent, nihil docent nisi hanc unam mentem. Neque vero tam torris aliquis bene ignitus prae se fert ignem, ac illae, quoquo spectes, hoc evangelium, hanc doctrinam apostolorum; ablui, sanctificari,

iustificari credentes in Spiritu sancto, assequi remissionem peccatorum per sanguinem Iesu Christi.

Iohannes cum primus baptizaret, non aquae baptismum extulit sed Spiritus sancti. — « Ego baptizo — inquit — in aqua, ille vos baptizabit in Spiritu sancto ». — Christus cum omnibus sacramentum et unum eundemque characterem institueret, ex spiritu suos renasci debere docuit. Non enim aqua lavat animam, sed ipsa prius lavatur a spiritu. Apostoli in *Actis* non baptismo Iohannis sanctificari homines docent, sed baptismo Christi in spiritu Dei. Paulus in sanguine et in morte ipsius docet: « Quicumque baptizati sumus — inquit — in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus ». Quid manus impositio, quid insufflatio, an sanctificationem aliam proponunt quam ipsum unum spiritum Dei? Insufflat Dominus et dicit: — Accipite Spiritum sanctum. — Imponunt manus apostoli, et orant pro populis; quid populi accipiant? Spiritum sanctum. Ungendos oleo infirmos docet Iacobus in nomine Iesu Christi, et quid sanat infirmum? oratio fidei: « fidei — inquit — nimirum quia iustus ex fide vivet ». Et quid dicit Christus? — « Qui credit in unigenitum Dei, habebit vitam aeternam ». — Instituit sacramentum coenae Dominus; quid proponit? corpus suum, sanguinem suum in remissionem peccatorum. « Hoc est — inquit — corpus meum, quod pro vobis datur; hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum ». Recenset eam traditionem Paulus acceptam a Domino: quid inculcat in mentibus? mortem Domini, crucem Domini, sanguinem Christi. Nonne videntur haec singula eodem anulo impressa? quid ni? cum suggesta sint ab uno paraceto: adulterina sigilla facile cognoscetis, si in caeteris signis impressis singillatim minuta etiam quaeque observabitis. Clara est atque aperta, pura et simplex mens et doctrina apostolorum, quam recitavimus; eam si memoria tenebitis, nemo vos fallat. Hic rogabunt isti, — quid tu scis istam doctrinam et mentem esse apostolorum? — interrogatio haec a diabolo est, viri Christiani, ut fidem, quae est donum Dei, ex qua vivitis, tollant ex cordibus vestris. Interrogant enim ut titubemus in eo, in quo stat firmitudo fidei nostrae; quibus

etsi responderi potest ex iis, quae superiori capite dicta sunt, et capite testimonii nono respondebimus: nunc tamen dicimus, in hoc servum Domini non oportere litigare; hoc nos scire, quod verissime scimus: remissionem peccatorum accipiunt per nomen Domini nostri Iesu Christi omnes, qui credunt in eum: Christus est iustitia et sanctificatio nostra: abluti, sanctificati, iustificati sumus in nomine Domini nostri Iesu Christi, per sanguinem eius, in spiritu Dei nostri.

Mens apostolorum est, umbras non esse repetendas: fruendum nobis luce allata per Christum, ut recte eatur ad veritatem evangelii: in ceremoniis non constituenda est iustificatio aut sanctificatio; sed in spiritu Dei per sanguinem crucis: curandum, ut a superstitione alieni populi et ab insidiis longe remoti, quibus appeti possunt a diabolo, oculos, mentem, animumque intendant in Deum patrem, in Christum Iesum, in spiritum Dei nostri. — Obtundis, inquit, ineptus es, qui haec eadem toties; — non curo dici ineptus; id ipsum fortasse aliquando obiectum fuit Paulo apostolo, qui negabat, sese quicquam aliud scire, quam Iesum Christum et hunc crucifixum. Huic doctrinae toties repetitae si quis repugnat, si quis ab hac doctrina aliud instituit, anathema sit. Nihil refert, si is aut magnus aliquis, aut Pauli discipulus, aut Petri contubernalis dici voluerit; immo vero fuerit, quid tum? si constat, aliquos fuisse apostolorum coniunctissimos, qui in unitate doctrinae non perstiterunt: « ex nobis prodierunt », — inquit Iohannes, — « sed non erant ex nobis ». Quid illud est, « ex nobis prodierunt »? Addit: « Haec scripsi vobis de his, qui seducunt vos ». Qui auctores igitur in unitate doctrinae apostolicae a nobis dictae non perstant, non perstiterunt, quique sint, etiamsi angelus de coelo, non probari iam a vobis, sed reici et explodi sentio. Benedictus Deus et pater Domini nostri Iesu Christi.



## RECITA CAPUT TERTIUM.

Pontifices Romani iam multis ac multis saeculis secuti sunt aemulatores legis, aemulatione legalium beneficium sanguinis Christi obtexerunt, ofuderunt tenebras doctrinae apostolicae, ut apostoli verbo utar, « converterunt evangelium Christi ». Id facile fuerit exemplis planum facere. Itaque ut ea, quae praedicta fuerant per Spiritum sanctum complerentur, « homo in templo Dei sedens, ostendens se tamquam Deus, operatus est mysterium iniquitatis ».

## Declaratio testimonii III.

Christus Iesus, in quo repositi sunt omnes thesauri sapientiae Dei, videbat aliquando fore homines, qui convicti maiestate virtutis et gloriae suae confiterentur Christum esse filium Dei, sed non glorificarent ut Dei filium; quod scilicet non constituturi erant in uno ipso omnem iustitiam et sanctificationem per sanguinem eius in spiritu Dei, quem spiritum suis erat daturus: futuri erant isti pseudoapostoli, qui aliquam partem sanctificationis et iustificationis in legalibus reponerent, et ex Christo et legalibus salutem nobis esse affirmarent; perinde atque ex Christo et Iudaeorum institutis corpus unum aliquid religionis constaretur solidum atque perfectum: quod commentum non a se esse et propterea diligenter reiciendum a fidelibus, docet dominus Iesus ex similitudine illis verbis: « Nemo commissuram a novo vestimento immittit in vestimentum vetus, alioquin et novum rumpitur, et veteri non convenit commissura a novo; et nemo mittit vinum novum in utres veteres,

alioquin rumpit vinum novum utres, et ipsum effundetur, et utres peribunt, sed vinum novum in utres novos mittendum est». Non pudet me ita loqui barbaramente, inquit, at christiane. Cum a Christo esset id commonstratum, sublata fuerat omnis ceremoniarum Iudaicarum species, omnis usus antiquatus. Umbrae fugatae sunt atque exclusae. Si ceremonias imitatione legalium reducerent homines falso christiani, id totum ex illorum cerebro fluxit, qui aemulatores fuerunt legis et umbris delectati obduxerunt tenebras rebus clarissimis, « subdoli operarii », inquit apostolus. Ubi enim lucem immensam a Christo allatam respicere coepimus, spiritumque ducere a Deo, per quem sub manifesta ignis et linguarum forma acceptum apostoli illustrarent omnia scriptis et oratione, turpe, indignum nefasque fuit reicere populum Dei et lucis filios in tenebras.

Id ut exemplis planum fiat, ut aditus ad rem propositam sit facilius, liceat mihi pauca dicere atque intra modum. Scimus Dominum Iesum corpus suum templum appellare. Decepti sunt ea appellatione Iudaei; nos, qui lucis filii sumus, decipi turpe est. Luce hac per Christum accepta novimus ea, quae fuerant a Salomone dicta in celebrationem templi, in quo Deus in perpetuum habitaret; umbras fuisse adornatas in celebrationem corporis Christi, in quo veluti in tabernaculo divinitas perpetuo inesset; de quo scriptum est celebre illud: « Mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo ». Huc attinent preces illae regiae, ut quaecumque homines deprecarentur in templo illo, de coelo Deus exaudiret, omnia in templo illo impetrarent cum gratia. Templum igitur per quod Deo placemus, templum in quo audimur, Christus unus est; in eo et per eum, in quo semper est Deus, roganda omnia a patre. Hoc tabernaculum illud Moysis significabat sacrum et sanctum ad explendum divinum cultum; nam quid illud est? « Assumpto unctionis oleo ungendum tabernaculum cum vasis suis, ut sanctificetur, altare holocausti et omnia vasa eius, labra cum basi sua, omnia unctionis oleo consecranda ut sint sancta sanctorum ». Significabant hae umbrae Christum Spiritu sancto unctum, de quo scriptum erat illud, « spiritus Domini super me eo quod unxerit me »; quod apostoli uno

ore asserunt in praecibus ad Deum patrem: « Convenerunt enim vere in civitate ista adversus puerum tuum Iesum, quem unxisti ». Si quis haec de unctione aliqua corporea intelligat, non longissime dicitur abesse a luce Christi? a doctrina apostolorum? De qua audi Petrum: « Verbum misit Deus filiis Israël annuncians pacem per Iesum Christum, quem unxit Deus Spiritu sancto ». Unctum est tabernaculum et altare holocausti, « ut corpus Christi sanctificaretur, qui fuit nobis in holocaustum, qui tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo », et omnia vasa eius ut sint sancta sanctorum, « et omnia vasa misericordiae ut omnes qui Christi sunt, Spiritu sancto ungerentur »; propter quod nos vocat apostolus Petrus, « genus electum, regale sacerdotium, gentem sanctam, populum acquisitionis, ut virtutes annunciemus eius, qui de tenebris nos vocavit in admirabile lumen suum ».

Haec cum ita sint, nonne indignum fuit gentibus et nationibus in lumen admirabile vocatis, tanta luce a Christo accepta, doctrina ea vulgata per apostolos, consecrata monumentis illis Spiritus sancti reicere populum Dei in tenebras? instare aemulationibus legis? implere omnia ceremoniarum iudaicarum? restituere manufacta templa, ut colantur ex umbris Salomonis? Encoenia reducta sunt et caeterae ceremoniae iudaicae de consecratione templi, de inungendo altari et vasis; adservantur haec tam belle hodie, quam enim maxime olim apud Iudaeos. Unctio mosaica quae Spiritum sanctum significabat non modo restituta sed late promulgata eius doctrina est, multis additis non modo a Christi sed a Moysis institutis longe alienis: de qua suo loco. Indignum item fuit, cum apostolus Paulus docuisset, nos verissime esse templa Spiritus sancti, in quibus Christi spiritus inhabitat, ea doctrina vel contempta vel non celebrata ab episcopis (quantum certe erat necessarium), sed alia quadam pontificum inducta et vulgata per orbem, tam magnis sumptibus tanto numero ubique exaedificari templa, in ea magnificentia absumi omnem pecuniam, cum valde saepe acciderit, ut in iisdem urbibus manufacta templa surgerent, et Spiritus sancti templa caderent fame et rerum omnium inopia, cum ad audiendum verbum Dei,

ad coenam Domini manducandam, aut aliquid tale vel satis esse potuisset una basilica, non encoeniis, non unctionibus consecrata, ne umbrae reducerentur in quibus fiderent homines et iudaizarent. Quin etiam, ne lucis liberi veluti umbrarum filii haerent in templis manufactis, vulgo celebrandum erat ab episcopis et senioribus illud idem, quod Esaias, quod Stephanus, quod apostoli ingeri et inculcari volebant per verbum Domini dicentis: « Haec dicit Dominus: coelum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum; quae est ista domus, quam aedificabitis mihi? et quis est iste locus requietionis meae? omnia haec manus mea fecit, et facta sunt universa ista, dicit Dominus ». Quo ergo spectant tot et tantae substructiones ad magnificentiam templorum quam non respicit Deus? Pergit enim, « ad quem autem respiciam, nisi ad pauperulum et contritum spiritu, et trementem sermones meos? Qui offert oblationem, quasi qui sanguinem suillum offerat ». Christo pro nobis oblato, oblationes caeteras non modo renuit pater, sed ducit in sacrorum violationem. « Qui recordatur thuris, quasi qui benedicat idolo ». Non modo sibi thus adoleri vetat, sed recordari de thure; quid hoc est? thus illud tam frequens in sacris Christum Iesum significabat, de quo inquit apostolus: « Christus dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis ». Omnis sacrificii et thuris usus, omnis umbra completa est in Christo Iesu, qui est dilectus Dei. Respuit caetera pater, hunc unum amplectitur, qui est imago Dei. Qui igitur umbram reducit, qui recordatur thuris, quo loco habebit pater? « quasi — inquit — qui benedicat idolo ». Sunt haec verba Dei viventis, quae vel non intellexerunt vel contempserunt pontifices Romani, qui de thurificatione decreta ediderunt, ex his umbris offuderunt tenebras doctrinae Christi, superstitionem invexerunt, docentes etiam ex umbra legali thuris fumo fugari daemones, non intelligentes in nomine Iesu, quem thus illud significabat, cuius odor suavissimus est et recte it ad Deum, daemones esse fugandos, dicente Christo, « in nomine meo daemonia eicient ». Deus thuris recordationem non admittit sicut neque circumcisionis, isti perhonorificis decretis de thure adolendo statuunt:

quodque ille per Esaiam contestatur, se in malam partem accepturum, isti dura cervice, ut semper Spiritui sancto resistent, docent accepturum in bonam.

Quod ergo sequitur, « elegerunt omnia haec in viis suis et in abominationibus suis delectata est anima eorum », non in Iudaeos dictum est, sed in hosce ipsos, qui nobis praecepta mortifera pro salutaribus scripserunt. Nam Iudaei quidem ceremonias illas in viis Domini elegerant; liquet id ex *Levitico*, in quo a Deo illa per Moysen adsignantur; inquit vero Moyses, « haec dicit Dominus ». At cum longe, longe alia doctrina a Christo ad nos allata fuisset, unde lucem et eam quidem admirabilem respicere coepimus, si qui « vestimentum vetus », umbras illas, « rudi panno », evangelii luci, voluerunt adsuere, « illi », illi prohibente Christo, reclamantibus apostolis, contempto edicto Dei viventis, « elegerunt omnia haec in viis suis, et in abominationibus delectata est anima eorum ». Nam mirum certe est quam reductionibus iis et imitationibus legalium pontifices Romani delectati sint; nihil videntur fecisse tanti quam ut magna volumina implerentur iis monstris; ita iusserunt servari haec a gentibus et nationibus, ita inculcarunt in mentibus hominum, ut multis ac multis saeculis omnes cum fiducia in haec ora, oculos, animumque converterint.

Hic audio succlamare istos: — Ceremonias ergo putas esse tollendas? hae si non ferentur, instituent alias sibi populi fortasse etiam deteriores. — Haec isti multis, quasi quis neget, dum propensionem illam animi, quae Deo gratissima est, in Deum ostendimus, ut cum sacramenta exhibentur, ut cum a Deo petimus ut signo visibili accepto spiritu suo nos informet, aliquid a nobis vultu, manibus, voce, et totius corporis gestu fieri, quod ceremonias, qui velit, possit appellare: non has ego, dico, sed quae ex reductione et imitatione legis mosaicae, veluti umbrae, tenebras obducunt doctrinae Christi, quaeque sunt, quae sanctificationem in alio statuere videntur, quam in spiritu Dei, remissionem peccatorum per aliud quam per sanguinem Iesu Christi. Ceremonias, dico, velut legalia, quae ad sese animos trahunt, in quibus vulgo homines fidunt atque haerent, in quibus salutem

collocant, cum aliud praeter Christum non sit, in quo oporteat nos salvos fieri. Ceremoniae, quae a Christo sensim abducunt, non sunt ferendae. — Longo usu inveteratas, nisi recipias, offendiculum eris fratribus. — Non est hoc offendiculi genus, quod vitandum docuit Christus, quo affecturum unquam se fratrem negavit apostolus; offendiculum hoc sanctum est atque divinum, quo Paulus in Petri faciem restitit, quo apostolorum multi vitam cum sanguine profuderunt; ob hoc ipsum in Stephanum lapidatio facta est, quod discessionem a lege doceret; offendiculum hoc fuit saepissime Christus Iudaeis, quod dies non observaret, quod ciborum usum confunderet, quod doctrinam hanc proferret in lucem, quae eadem illustrata proximis annis zelo pharisaico et iudaica animadversione pontificum Romanorum et asseclarum eius perturbavit, vexavit, permiscuit omnem rempublicam Christi. Offendiculum obiciunt isti novi Caiphae, quod Stephanus, quod apostoli, quod Christus fuerunt. Possumus et volumus mori ut offendiculo simus iis, qui tantis cervicibus sunt ut nefas putent esse Christum sequi, Stephanum imitari, Paulum audire; qui, ne quis arbitretur parvi cuiusdam momenti esse, si qui haereant ceremoniis iudaicis, sed tanti ut cum iis stare non possit evangelium Christi, clamat et contestatur: — «Sunt aliqui, qui vos conturbant et volunt convertere evangelium Christi, sed licet nos aut angelus de coelo evangelizet vobis, praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit, et nunc iterum dico vobis, si quis vobis evangelizaverit praeter id, quod accepistis, anathema sit». — Utinam Dominus noster Iesus Christus aperiat mentem fratrum verbis his, quibus per Spiritum sanctum clamat apostolus, ut id ipsum caverent a pseudoapostolis illis, quo nostris temporibus appeti videmus populum Dei. — Velim hic omnes esse quam diligentissimos et petere ex commentationibus omnium interpretum eius epistolae, quid esset, quod evangelizarent illi, quo converteretur evangelium Christi; asserebant illi Christum esse filium Dei, asserebant alia, quae evangelio continentur; nam erant a credentium numero. Ii erant, inquit Teophilactus, qui dignitate praecellerent, et vitam cum Petro et Iacobo duxerant, eosdemque caeteris longe praeferrent;

propterea «angelorum» nunc meminit, et «de coelo» adiecit, cumque et sacerdotes angeli vocarentur, supernas potestates expressit, neque «si contraria» solum «praedicaverint» intulit, sed «si evangelizaverint id praeter quod ipsi evangelizavimus»; hoc est, si plusculum quidpiam ipsi adiecerint, execrationi subdantur. Ii unam aut ad summum alteram ex ceremoniis iudaicis reduci et observari volebant. Et tantopere acclamat Paulus. Gravissima apostoli oratio est non temere iterata, non tamen ob aliud quam ob id ipsum, ne quis ab aemulatoribus legis ceremonias reciperet: quae si tanti sunt, ut ex una, aut altera subvertatur evangelium Christi, quam ego vocem nunc mittam, viri christiani, qua satis significem dolorem meum? ne gemne quidpiam esse adiectum? qui sciam magnum, incredibilem, infinitum numerum ceremoniarum ex iudaicis aemulationibus re-  
 vectum esse multis ac multis saeculis a pontificibus Romanis? Quod si id verum est, quod omnes interpretes indubitanter asserunt, ut una aut altera ceremoniarum legalium recepta totum corrumpatur evangelium, quemadmodum, aiunt, dici de regio nummo potest, qui vel leviter circumcisis totus adulteratur; vos iam videte, quam insignis iniuria facta sit castissimae religioni; quorum opera nihil dico, nam mitrae quoque istae loquuntur.

At quoniam nonnulli ex peritioribus istis non magni putant referre, si ceremoniae ex iudaicis sint restitutae maiori etiam cumulo, modo (inquiunt) doctrina per has aemulationes non sit invecta, qua possint homines sensim abduci a Christo; id enim ex doctrina pseudoapostolorum erat consecrarium, nam si qua pars iustitiae aut sanctificationis in aliqua legali posita fuisset, sanguini Iesu Christi singularis fiebat iniuria, per quem tantum iustificati et sanctificati sumus in spiritu Dei; per bono loco res est. Recita mihi tu decretum *de aqua benedicta* Alexandri I papae, quem fuisse dicunt annos ab hinc mille quadringentos tres et praeterea viginti, ut qui vis possit intelligere tempore pseudoapostolorum haec subrepsisse. «Aquam sale conspersam populis benedicimus, ut ea cuncti adpersi sanctificentur ac purificentur, quod et omnibus sacerdotibus faciendum esse mandamus. Nam si cinis vitulae adpersus sanguine populum sanctificabat atque



mundabat, multo magis aqua sale adpersa divinisque precibus sacrata populum sanctificat atque mundat. Et si sale adperso per Helisaeum prophetam sterilitas aquae sanata est, quanto magis divinis precibus sacratus sterilitatem rerum aufert humanarum, et coinquinos sanctificat atque mundat et expurgat, et caetera bona multiplicat, et insidias diaboli avertit et a phantasmatum versutiis hominem defendit». Quid primum rogem? quid primum querar? nam quid hoc est, si aemulatio legis non est? « Nam si cinis vitulae adpersus sanguine populum sanctificabat atque mundabat, multo magis aqua sale adpersa divinisque precibus sacrata populum sanctificat atque mundat ». Negetne quisquam beneficium sanguinis Christi obtegi his verbis? sanctificationem in legali collocari? Obsecro, animadvertite, ut cognoscatis, quibus haec doctrina sit orta principiis, quantum a doctrina apostolorum absit. Tractemus hanc eandem umbram ex epistola, quae scripta est *ad Hebraeos*. « Si enim sanguis hircorum aut taurorum et cinis vitulae adpersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Iesu Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundavit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi »? Quid hoc est? Ille obtegit beneficium sanguinis Christi; hic aperit atque illustrat: ille proponit umbram cineris adpersi sanguine vitulae, et in umbram aquae sale adpersae recidit per aemulationem legis; hic umbram omnino fugat luce doctrinae apostolicae, illustrato beneficio sanguinis Christi, nulla aemulatione legis proposita: ille abducit sensim a Christo et ad legalis fiduciam retrahit; hic ad Christum trahit, et a legali longe abducit. Quantum inter haec intersit, iudicate iam ipsi vos, principes Christiani, et pro maiestate vestra tuemini verbum Dei. « Si quis — inquit apostolus — aliud evangelizaverit praeter id, quod accepistis, anathema sit ». An docere gentes et nationes, aquae sale conspersae et exorcismis sacratae adpersione omnes sanctificari et mundari, non est aliud evangelium? Quid accepimus a Iohanne? dicat testimonium summa auctoritate, religione et fide praeditus Iohannes, « sanguis, inquit, Iesu Christi emundat nos ab omni peccato ». Quid

accepimus a Petro? « in adspersionem sanguinis Iesu Christi », inquit. Quid a Paulo? « per sanguinem crucis eius ». Quae est doctrina omnium apostolorum, et discipulorum Domini? « Remissionem peccatorum accipere per nomen Domini nostri Iesu Christi omnes, qui credunt in eum; Christum esse iustitiam, sanctificationem nostram, neve in mentem cadat in alio nos mundari, sanctificari et iustificari; ablutos, sanctificatos, iustificatos nos esse in nomine Domini nostri Iesu Christi per sanguinem eius in spiritu Dei nostri ». Quae mens est apostolorum? « Umbras non esse repetendas, fruendum nobis luce allata per Christum, ut recte eatur ad veritatem evangelii; in ceremoniis non constituendam esse iustificationem aut sanctificationem, sed in spiritu Dei per sanguinem crucis; curandum ut a superstitione alieni populi et ab insidiis longe remoti, quibus appeti possent a diabolo, oculos, mentem animumque intendant in Deum patrem, in Christum Iesum, in spiritum Dei nostri ». Quae est doctrina pontificum Romanorum? « Aquam sale adpersam divinisque precibus sacratam populum sanctificare atque mundare, salem divinis precibus sacratum et exorcizatum sterilitatem rerum auferre humanarum, et coinquinatos sanctificare atque mundare et expurgare, et caetera bona multiplicare, et insidias diaboli avertere, et a phantasmatum versutiis hominem defendere ». Quae mens est pontificum Romanorum? « Instandum esse aemulationibus legis, umbras esse repetendas, in ceremoniis constituendam sanctificationem, iustificationem, expurgationem, ut in eas populi ora, oculos, mentem, animumque convertant ». Annon haec ipsa fuit mens pseudoapostolorum? Verbum hic non puto posse istos proloqui. Nam si qua usquam distinctio et remedium ostenderetur, quo haec possent ferri, id omne vitio verteretur sapientissimis apostolis, qui ignorarint, quo mederi potuissent tantae seditioni credentium, quae tum fuit pro rei-cendis ceremoniis. Sed ego ad illud redeo de Helisaeo, in quo repetenda quaedam sunt ex libro *Regum*, in quo haec habentur: « Cum aquae pessimae essent et terra sterilis, dixit Helisaeus: — Afferte mihi vas novum et immittite in illud sal, — et ait: — Haec dicit Dominus: sanavi aquas has, et non erit ultra

in eis mors, neque sterilitas ». — Factum est hoc sic quidem; sed erat in hoc umbra futurorum, quae ex doctrina apostolica poterat illustrari ab episcopo. Legimus enim in *Apocalypsi* per aquas, populos et gentes significari et linguas. De gentibus quod erant in semine Abrahae Christo benedicendae, praedictum erat, ad quas Paulus et apostoli immissuri erant sal, delaturi verbum Dei. Collatio ergo christiane sic poterat tractari. Si sale adperso per Helisaeum sterilitas aquae sanata est; quanto magis praedicatione et oratione Pauli et apostolorum per verbum dei et immissionem Spiritus sancti gentes sanatae sunt, sublata morte et omni sterilitate earum, ex quibus Christus exhibuit sibi gloriosam ecclesiam? Erant ita umbrae aperiendae, non ex umbris invehendae umbrae densiores ad superstitionem.

Agite vero, recenseamus iam formulas sacrationum et precum in hoc legali, ut quae sit eorum doctrina, quae instituerint petere gentes et nationes, intelligamus. Recita benedictionem salis. « Exorcizo te creaturam salis per Deum vivum, per Deum verum, per Deum sanctum, qui te per Helisaeum prophetam in aquam mitti iussit, ut sanaretur sterilitas aquae, ut efficiaris sal exorcizatum in salutem credentium, et sis omnibus te sumentibus sanitas animae et corporis ». Annon videtis ex quo ludo haec prodierint? quibus sint orta principiis? in sale exorcizato ponere salutem credentium? salutem animae et corporis? Exorcismorum vero istorum usus unde tam frequens irrepserit, ipsi viderint. Non me fugit, multis post saeculis ab Ambrosio adornata quaedam fuisse, et laudatos in ecclesiis exorcistas. At simplicissimae erant, ut dixi, traditiones apostolorum et candidissimae: pura aqua ad baptismum, puro oleo ad unguentum, ipso vino et pane ad coenam domini utebantur. Exorcistas Iudaeos celebres fuisse tempore apostolorum legimus, homines daemoniorum etiam iudicio non probatos. « Tentaverunt — inquit — quidam de circumeuntibus Iudaeis exorcistis invocare super eos, qui habebant spiritus malos, nomen Domini Iesu, dicentes: — Adiuvo vos per Iesum, quem Paulus praedicat; — respondens autem spiritus nequam dixit eis: — Iesum novi et Paulum scio, vos autem qui estis? » At quid hoc est? « vos autem qui estis? » Sed tu perge

de consecratione salis: « Immensam clementiam tuam, omnipotens aeternae Deus, humiliter imploramus, ut hanc creaturam salis benedicere et sanctificare digneris tua pietate, ut sit omnibus sumentibus salus mentis et corporis ». Hoccine est ex evangelii cathedra docere? Proh tantam esse hominum socordiam, instituere gentes et nationes, petere et sperare salutem mentis et corporis ex salis libatione. Hi sunt praefecti ecclesiae? ministri evangelii? Pseudoapostoli illi, instigante Satana, commentati sunt hanc doctrinam, quam secuti aemulatores legis, pontifices Romani et eorum asseclae in miros abusos abierunt, quorum magnum atque incredibilem numerum praeteribo consulto, ne vos multis morer; perpaucos, et ex his ritum de cineribus ex ramis olivae exempli causa et breviter recensebo. Ubi exorcismos et preces de more adhibuerunt, quae ab episcopo, qui novit et ponderavit, quo et quanto pretio simus redempti, sine stomacho recitari non possunt: tandem, ubi thuris fumo et aquae salitae rore arbitrantur satis fugatos esse daemones, reponunt hos ipsos ramos, ut sequenti anno in cinerem redigant, quem feria quarta exorcismis aggrediuntur; eius cineris consecrationem iis precibus confici docuerunt.

Recita preces in consecratione cinerum. « Omnipotens sempiternae Deus, parce metuentibus, propitiare supplicantibus, et mittere digneris sanctum angelum tuum de coelis, qui benedicat, sanctificet hos cineres, ut sit remedium salubre ». Quod remedium salubre? perge ne sit obscurum. « Ut quicumque eos super se adperserint pro redemptione peccatorum suorum, corporis sanitatem et animae tutelam percipiant ». Miseret me istorum; nam quae haec est inscitia atque amentia? Unigenitus Dei, qui est in sinu patris, de coelo descendit, servi formam induit, in tot laboribus vitam duriter egit, expediri in se virgas, vinciri, caedi, in crucem tolli voluit, sanguinem omnem cum vita effudit; pro quo? pro quo? pro redemptione peccatorum nostrorum: praestititne eam? immo vero cumulatissime praestitit. Quid ergo petis per cineres redemptionem peccatorum, quasi non sis assecutus? Si per sanguinem Iesu Christi cumulatissime es assecutus, cur per cineres assequi

petas, non video. Certe hic quis potest suspicari, ea opinione istos fuisse, ut crederent effusionem illam sanguinis Christi satis fuisse pro peccatis eorum, qui ante Christi mortem fuerunt, pro sceleribus tot et tantis eorum, qui postea fuerunt, non satis esse, et propterea quaerendum supplementum ex cinerum adspersione; quasi vero non dicat Iohannes: « Propitiationem eam satis esse non modo pro peccatis nostris, sed pro peccatis totius mundi ». Quid si sexcenti essent mundi? pro sexcentis diceret Iohannes, modo credant in unigenitum Dei. Maioribus benevolentiae signis, quantum nos amet pater, non potuit declarare, quam ut filium unigenitum daret crucifigendum pro servis in redemptionem peccatorum; dedit libenter pater; consecuta est plenissima redemptio « et reconciliatio eorum, quae in coelis sunt et quae in terris »; serio triumphat Christus, et mera evangelia, « confidite — inquit — ego vici mundum ». Quid tu aut invidus, aut ingratus, aut immemor beneficii, instas his verbis « ut mittat angelum de coelo »? cur? « ut cineres sanctificet »; quamobrem? « ut si super me adpersero, assequar redemptionem peccatorum ». Quam petis si scelerum poenituit, si aliam agis vitam, si credis in unigenitum Dei, nonne es assecutus per sanguinem eius, in quo es adpersus, in quo es lotus, in quo es sanctificatus? Nescis quid petas, et mysterium operatus iniquitatis alios facis nescire, quod nescis.

Obscurat hoc commentum beneficium sanguinis Christi, et magnitudinem verae liberalitatis et misericordiae Dei. Nam si, sicuti datus est unus sanguis Iesu Christi pro plenissima redemptione peccatorum, ita omissis superstitionibus unus proponeretur gentibus et nationibus, quae invocant nomen domini nostri Iesu Christi; pro hoc uno gratiae agerentur, quibus illustraretur benignitas Dei et gloria Christi; cuius hostis subdolos Satanas, veluti mulierculae solent cum pueros aliquo nolunt prospectare, alia quaedam spectanda proposuit, ut a Christo crucifixo sensim non modo oculi sed animi quoque gentium et nationum abducerentur; qui cum inhiare in sanguinem et corpus Iesu Christi debuissent, in ridicula haec incubuerunt ex institutione illa pseudoapostolorum, ut facta tanta redemptione, quanta nulla maior possit

excogitari, quaeque extra modum supra sit peccata nostra et totius mundi, adhuc pueriliter instant et muliebriter et superstitiose, immo vero insipienter petunt, ut cineribus ramorum olivarum, qui eos cineres super se adperserint, assequantur redemptionem peccatorum. Obsecro vos, viri principes, vel hoc est ex doctrina apostolorum et evangelio Christi? Cuius quoniam conversionem quidam fieri indigniorem putant, si quis curaverit reducendam observationem dierum ex veteri lege, quod dictum sit, « dies observatis et menses et tempora et annos, timeo de vobis, ne forte sine causa laboraverim in vobis », nam et ob id clamat Paulus, « sunt aliqui, qui vos conturbant et volunt convertere evangelium Christi ». Liquet id ex commentariis omnium interpretum. Quid putatis? Continuisse ab hac impietate sese pontifices Romanos? immo vero, quia Paulus et Petrus et caeteri apostoli vetuerunt restitui dierum observationem et mensium et annorum, pontifices Romani et eorum asseclae restituerunt et servari mandarunt.

Recita observationem quatuor temporum et sermonem Leonis papae ex Hieronymo: « Ieiunium quarti, et ieiunium quinti, et ieiunium septimi, et ieiunium decimi mensis domui Iudae et Hierusalem in dies festos vertetur in gaudium. Hoc loco nostrorum multi multa dixerunt et inter se dissonantia. Cogimur igitur ad Hebraeos recurrere, et scientiae veritatem de fonte magis quam de rivulis quaerere. Ieiunium quarti mensis, qui apud Latinos vocatur Iulius, die septimo et decimo eiusdem mensis, illud arbitramur, quando descendens Moyses de monte Sinai tabulas legis abiecit et confregit, et iuxta Hieremiam muri primum rupti sunt civitatis. In quinto vere mense, qui apud nos appellatur Augustus, cum per exploratores terrae sanctae seditio orta esset in populo, iussi sunt montem non ascendere, sed per quadraginta annos longius a terra sancta circumire dispendiis, ut exceptis Caleph et Iosue omnes in solitudine caderent, et in hoc mense a Nabuchodonosor et multo post a Tito et Vespasiano templum Hierosolymis incensum atque destructum, capta urbe Bethel, ad quam multa millia confugerant Iudaeorum. In septimo vero, qui apud nos appellatur October, occisus est Godolias, et Iudae tribus ac

Hierusalem reliquiae dissipatae sunt. Mense decimo, qui apud nos Ianuarius dicitur, eo quod ianua sit anni atque principium, Ezechiel in captivitate positus audivit, et cunctus populus captivorum: — Quinto mense templum est subversum — ». Observatio haec mera est iudaicarum rerum, ut quivis videre possit, eam ab aemulatoribus legis iudaicae ad nos transiisse. Hanc tamen observationem dierum et mensium mandarunt pontifices Romani servari debere ubique gentium et ieiunio celebrari, edicto proposito et poena mortis animae indicta, si qui non servarint. « Annorum observationem » ex iubilaeo fatentur a veteri testamento reduxisse, qui? Bonifacius octavus et Clemens sextus, pontifices romani. « De encoeniis restitutis » ad iudaicam aemulationem nihil dico, quod ipsimet ex libro *Regum* accepisse testantur; « in quo, inquit, perfecta dedicatione templi reperies ». Argumentum vero eorum est perridiculum, statuere celebrationem dedicationum templi, quod aliquando Christus illis ipsis diebus inambularit in templo in porticu Salomonis. Nam fac esse, quod ex eo venerit, inambularit in templo in porticu Salomonis ut legale servaret, num propterea nos quoque tenemur servare? « ipso, ut aiebant, Domino, qui circumcisus est, exemplum dante ». Annon hoc argumento nitebantur pseudoapostoli asserere, servandam esse circumcisionem, « ipso, ut aiebant, Domino, qui circumcisus est, exemplum dante »? Scimus illum frequentem fuisse in templo, in quo ceremoniae et caetera de ritu fiebant. Infirmum tamen argumentum est: — Christus in templo dum legalia celebrarentur adfuit; ergo a nobis legalia sunt servanda. — Confutaverunt enim haec omnia apostoli, quod lex usque ad Iohannem habuisset imperium. A Christo vero, quae erant ex lege, fuerunt observata, ut omnem legem pro nobis adimpleret unus is, qui verissime dixit, et dicere potuit unus, « non veni solvere legem, sed adimplere ».

Legale item *De consecratione templi* pontifices Romani restituerunt; quam ob rem ab aemulatione legis sic ordiuntur. Recita sanctionem: « Tabernaculum Moysen Deo praecipiente fecisse et sacrasse cum mensa et altari eius et aeneis



vasis et utensilibus ad divinum cultum explendum legimus, et non solum divinis precibus eas sacrasse sed etiam sancti olei unctione domino iubente perlínisse novimus. Qualiter autem haec facta sunt, ut non alii ipsa sacramenta quam ipsi sacerdotes sacra unctione delibuti Dominoque cum vestibus sanctis sacrati, sacrati levitae, tractabant, ferebant, erigebant et deponerant, in ipsis institutionibus, quae iubente domino conscriptae sunt per Moysen, in lege Domini reperitur». Si meministis, multis ac multis ostendimus, has ceremonias fuisse umbras futurarum. Et haec ipsa de tabernaculo omnia exposita sunt ex doctrina apostolica. Diversa enim est doctrina apostolorum, et ea, quae est aemulorum legis: illi, ut est in proverbio, in cortice et testa adhuc insistent; Christiani in nucleo et medulla: illis velum Moysis adhuc positum est ante oculos; a nobis omne involucrum est ereptum atque sublatum per Iesum Christum. At quoniam recepimus nos de unctione sancta aliquando dicere, et verba de consecratione admonent, quod sancti olei unctione omnia perlínita fuerint; primum necesse est, vos aliqua memoria repetere ex iis, quae diximus, per ipsam unctionem, qua omnia illa sanctificabantur, ipsum Spiritum sanctum fuisse significatum, quo Christus erat ungendus et sanctificandus et omne regale sacerdotium, non clerici tantum, quos vocant, sed omnes Christiani fideles: « omnes — inquit apostolus — qui sunt Iesu Christi »: deinde alia quaedam ex illis umbris sunt illustranda.

Praeteribo tamen multa, et strictim omnia, principes christiani: quod non hoc mihi propositum est, ut explicem omnes umbras, sed eas tantum, quae ad sanctae unctionis, ad sacerdotii regalis explicationem duxero necessarium, ut et caetera manifesta sint et veritas illustretur; quod ut praestem ignoscere mihi debetis, si paulo altius quaedam repetam, cumque umbrae sint aperiendae, paucis me expediam non in vocibus ipsis sed in mysticis significatis insistens, quae in diuturna obscuritate latuerunt. Scriptum est in lege Domini: « Filiis Aaron ad sacerdotium adsumptis eorum partem periisse, partem fuisse servatam »; quod illud significat: « ex populo Dei » ex Iudaeis ipsis « reliquias quasdam secundum electionem Dei salvas factas esse, partem



concidisse ut ex illorum delicto — inquit apostolus — salus esset ex gentibus et diminutio illorum divitiae gentium ». Ergo Nadab et Abihu filiis Aaron mortuis locutus est Dominus ad Moysen, ut applicaret tribum Levi ad cultum divinum; « et erunt, inquit Dominus, levitae mei ». Per hanc applicationem significabatur applicatio gentium, « ex quibus gentibus », ut praedictum erat, « statueret sibi Christus regale sacerdotium, ecclesiam, pro qua tradidit seipsum, ut illam sanctificaret, mundans eam lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet ipsam sibi gloriosam ecclesiam, non habentem maculam aut rugam aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata ». Ex levitis ergo sacratis et perunctis significabatur ecclesia fidelium gentium, sanctificata per sanguinem Iesu Christi, peruncta sanctissima unctione, Spiritu sancto ipso, qui per mosaicam unctionem significabatur; qui levitae haberent sacras vestes, sacra et munda corpora, de quibus inquit apostolus: « Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri? » Quid est: « non estis vestri? » Annon illud idem, quod dicit Dominus: « Levitae mei sunt? » Et de fidelibus ait apostolus: « Non estis vestri; empti enim estis pretio; glorificate et portate Deum in corpore vestro, et in spiritu vestro, quae sunt Dei ». Id significabant stolae et vestes omnes illae in lege veteri sacratae sacerdotum: lotae scilicet stolae Christianorum fidelium in sanguine agni Christi, de quibus scriptum est « Beati qui lavant stolas suas in sanguine agni ». Sacratae vestes, omnium fidelium Christianorum sacrata corpora, quoniam Christi sunt membra peruncta non oleo aliquo exteriori, sed quoniam in his habitat spiritus sanctus, qui unctio in scripturis appellatur. Annon hoc illud est fidelis Iohannis? « Vos unctionem habetis a sancto ». Omnia haec non ex iudaica sed apostolica doctrina sunt accepta, quae quam indignissime velata atque obscurata sint ab aemulatoribus istis legis, quos credo iam vos probe nosse, vel ex eo cognoscite, quod non eorum corpora munda sanctificata, immaculata in castitate, in sinceritate, quibus longe caeteris deberent excellere; sed stolas et vestes oleo perunctas

et exorcismis sacratas Domino offerunt; se vero ipsos non unctione sancta Spiritus, ex qua Spiritus sancti opera prodeunt, sed exteriori quadam unctione perungi curarunt. Qua re in omne genus sceleris impune irrumpunt, et veluti vulpeculae, illudentes populo Dei, suppliciis se eximunt, quae ex civilibus legibus necesse fuisset infligi.

Sed haec suo loco. Nunc satis est, ut intelligatis, unctionem illam legis, umbram fuisse Spiritus sancti, in quo omnes, qui Christi sunt, baptizati sunt, ne opera carnis perficiant. Spiritum sanctum vero unctionem fuisse appellatum tam a prophetis quam ab apostolis, demonstravimus et meminisse debetis, et illud non oblivisci, non haec eo a nobis dici, ut negemus signo aliquo visibili opus esse in sacramentis exhibendis et ceremoniis quibusdam; sed ut eo signo visibili mentes ad coelestia erigantur non deprimantur, utque ceremoniae purae ac simplices ad significata ipsa rapiant, non in umbras veluti Iudaeorum legalia; doceant insistendum esse denique ut gentibus et nationibus etiam infirmioribus adiumento sint, non impedimento, ut omnes mentem animumque intendant in Deum patrem, in Christum Iesum, in spiritum Dei nostri. Ad hanc normam instituendae sunt praeces et rogationes, non ut reductione aut imitatione legis mosaicae tenebras obducant evangelio, superstitionem invehant, quod sanctificationem et remissionem peccatorum statuere in se videantur. Quod commentum ipsum fuit pseudoapostolorum ad imminuendam gloriam Christi, ad convertendum evangelium, quod illi, ut docuimus, instigante Satana, summo studio, incredibili diligentia, dolo malo, operarii subdoli, inquit apostolus, commoliti sunt: ex quorum ludo haec prodiisse non est dubitandum, quae velut zizania dormientibus hominibus sata super bonum semen, mirum in modum creverunt in agro Domini, ita ut pene granum suffocent. Quae ut internoscamus (iam etiam oratio de his properat ad finem); attendite, obsecro, diligenter, quae agantur, quae petantur a pontificibus et collegis, dum ea unctio conficitur, ut ex iis actis intelligatis, quo spiritu haec invecta sint in mundum. Volumen appellant pontificiale; secundum ritum ecclesiae Romanae in eo haec habentur, —

recita sanctionem de officio quintae feriae in coena Domini: « Hac die in toto orbe christiano, chrisma et oleum sanctum et oleum cathecumenorum conficiuntur. Dominus enim Iesus Christus, postquam cum discipulis coenavit et eorum pedes lavit, ut Fabianus inquit, chrisma conficere docuit ». Quod novum hoc est evangelium! quis unquam accepit ex iis quatuor, qui ad scribendi manus delecti sunt a patre Domini nostri Iesu Christi? Tantamne rem tam negligenter egerunt, ut quod unum esset maximum ad sanctificandos homines, vel neglexissent vel omisissent? An Iohannes, qui de coena et lotionem pedum omnia minutissime collegit, tantum mysterium praeterivit? Quid Paulus, cum evangelium a se scribi dicat, diligentissimus omnium scriptor atque illustrator, de hoc ne verbum quidem? Quid, cum usque adeo acclamasset, ne legalia restituerentur, non unum excepit de unctione?

Sed nos ad rem. Ubi quasi gesticulariam egerunt apud tres ampullas, quae plenae oleo sunt, « disposita mappula dimissaque ampullae sua (ut aiunt) serica veste alba, pontifex capite inclinato salutatur chrisma aut oleum dicens: — Ave sanctum oleum, ave sanctum oleum, ave sanctum oleum, — semper altius dicendum », utar eorum ipsorum verbis, « quod postquam tertio dixerit, osculatur labium ampullae, quo facto sedet pontifex et accipit mitram; tum singuli duodecim sacerdotes parati accedunt successive per ordinem ad mensam, supra quam posita est ampulla, et factis reverentiis genu flectunt coram ampulla, qualibet vice, semper altius dicendo in tono praedicto: — Ave sanctum oleum, ave sanctum oleum, ave sanctum oleum — ». Quid hoc est si idololatria non est? Nisi quis velit vocare elaeolatriam. At non haec quidem a Moyse, longe, longe haec monstra absunt a Iudaeis. Salutatur oleum tamquam vivens aliquod, non significatione ulla, sed quasi sanctitate et divinitate ipsa, quae insit in oleo, non modo salutatur sed adoratur etiam a collegis duodecim ter sigillatim. Hoccine Christus docuisset? hoccine apostoli? Desinant tandem, desinant subdoli operarii illudere populo Dei, qui quoniam haec, ut Fabianus docuit, accepisse a Christo non possunt ostendere, proximum est, ut iis dent, qui proximi

fuerunt tempori, quo iacta sunt fundamenta salutis nostrae. In iis quoniam miri sunt abusus, qui pseudoapostolorum ingenia ex scriptis Pauli norit, facile suspicabitur ab illorum commentis ad pontifices Romanos transiisse. Quod si inexcusabiles sunt ii, « qui cum cognovissent Deum non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum; dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt; et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis et volucrum et quadrupedum et serpentium »: quae tandem amentia est? quae superstitio? quae indignitas? reiectis umbris accepta tanta luce a Christo per apostolos, ad oleum, creaturam insensilem, genua flectere, acclamare ad oleum illis salutationibus: « Ave sanctum oleum, ave sanctum oleum, ave sanctum oleum ». An Iovis sacerdotes aut Apollinis aliter sua idola salutarunt? An alium tenuerunt adorandi ritum, quam provolvi genibus ad mutas statuas, facta acclamatione, atque isti ad oleum?

Recita consecrationem olei. « Exorcizo te, creatura olei, in nomine Dei patris omnipotentis, in nomine Iesu Christi et spiritus sancti, ut in hac invocatione individuae trinitatis atque unius virtute deitatis, omnis nequissima virtus adversarii, omnis inveterata malitia diaboli, omnis violenta inversio, omne confusum caecum phantasma, eradicetur et effugatur et discedat a te, ut divinis sacramentis purificata fias in adoptionem carnis et spiritus his, qui te ungenti sunt in remissionem omnium peccatorum ». Quid hoc est? quam indignum? Quid audio peti remissionem omnium peccatorum? At Dominus Iesus, cuius vos, fratres, aquam salientem in vitam aeternam bibere oportet, non abominationes pontificum, quid ait? « Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum ». Hoc est sanctum evangelium, viri principes, haec est doctrina omnium apostolorum, « remissionem peccatorum accipere per nomen Domini nostri Iesu Christi omnes, qui credunt in eum; ablutos, sanctificatos, iustificatos nos esse in nomine Domini nostri Iesu Christi, in spiritu Dei ». Sufficit, sufficit hic sanguis ad remissionem

peccatorum, sufficit hic spiritus ad sanctificationem animarum nostrarum: cognoscimus Christum Dei filium, volumus glorificare ut Dei filium, nolumus evanescere in cogitationibus nostris, ne et cor nostrum obscuretur et fiat insipiens. Nam quid est, viri Christiani, tanto pretio soluto redemptionis nostrae, divina illa effusione sanguinis Iesu Christi facta, « per quam reconciliavit sibi omnia pater, quae in terris sive quae in coelis sunt, ut exhiberet nos sanctos et immaculatos, et irreprehensibiles coram ipso », petere, ut ex adspersione aquae cum sale, ex cineribus ramorum olivarum superiectis, ex perunctione olei exorcizati, remedium salubre fiat omnibus gentibus et nationibus in remissionem omnium peccatorum, in tutelam animae et corporis? An non sunt hae petitiones obscurati cordis et vel maxime insipientis? Praetereo consecrationes de amictu, de alba, de zona, de cingulo, manipula, casula, planeta, caligis, sandaliis, cheirothecis, anulis, vasis. Praetereo benedictiones imaginis, ut ipsi loquuntur, incensandae, ut quicumque ob devotionem ad ipsam adorandam se devote inclinaverint, salutem mentis et corporis consequantur. Praetereo benedictionem pabuli animalium, hordei, avenae in festo sancti Stephani, benedictionem vini in festo sancti Iohannis Evangelistae contra venenum, benedictionem panis et vini, fructuum et seminum in festo sancti Blasii contra malum gutturis, benedictionem segetum et seminum in festo sancti Marci, benedictionem casei vel butyri, benedictionem lardi; ex qua una caeteras cognoscite: nam qui unam norit, caeteras norit. « Benedic Domine creaturam istam lardi, ut sit remedium salutare generi humano, et praesta per invocationem tui sanctissimi nominis, ut, quicumque ex eo sumpserint, corporis sanitatem et animae tutelam percipiant ». Quod est remedium salutare generi humano? lardum. Ex qua re animae tutelam petunt? ex esu lardi. Unde haec sunt? a pontificibus Romanis. Hi sunt praefecti ecclesiae? praedicatores evangelii? magistri sanctitatis? Sunt haec quidem indigna. Non pudet haec in lucem proferre? Aiunt tamen esse benedictiones; nimirum eae benedictiones sunt, de quibus, quod non solidam sui nominis gloriam darent, Deus inquit per Malachiam: « Maledicam benedictionibus vestris, o sacerdotes ».

Quae cum ita sint, principes christiani, nunc per virtutem Dei, per spiritum sanctificationis animarum vestrarum petit, orat atque obsecrat vos servus Iesu Christi, primum ut severissime iudicetis, deinde ut bono animo sitis, magnamque spem habeatis, neve dubitetis praeclare aliquod in iis factum iri aliquando ab ecclesia sancta. Et quoniam nihil aequae consolationem affert animis bonorum ac ipsum verbum Dei, nolite putare haec, quae hodie geruntur, non fuisse praedicta in scripturis sanctis. « Omnia, inquit Augustinus, quae nunc vides in ecclesia Dei et sub Christi nomine per totum orbem terrarum geri, ante saecula iam praedicta sunt ». Quid ergo est? consecratum est memoriae hominum sempiternae in iis libris, qui sunt nobis scripti divinitus, quod vos maxime consolari debet atque erigere. « Cum crevisset Isaac et ablactatus esset, fecit Abraham grande convivium in die ablactionis eius, cumque vidisset Sara filium Agar ludentem cum Isaac filio suo, dixit ad Abraham: — Eice ancillam hanc et filium eius; non enim erit haeres filius ancillae cum filio meo Isaac », per quem significantur filii promissionis, christianus populus, ablactetur, deturque illi cibus solidus, solida veritas, solida pietas, solidum evangelium, quod est, « remissionem peccatorum accipere per nomen Domini nostri Iesu Christi omnes, qui credunt in eum », hanc non per aliud assequi, non petere, non sperare debere gentes et nationes, quam per sanguinem Iesu Christi; sanctificationem non in alio esse, non per aliud assequi, non petere, non sperare debere gentes et nationes, quam in spiritu Dei nostri; ut oculi, mentes, animi omnium intendantur in Deum patrem, in Christum Iesum, in spiritum Dei. Cumque, « Sara », ecclesia sancta, videat « Ismaëlem filium ante Isaac », carnis filium non spiritus, populum iudaicum aliquando populum Dei, nunc non populum Dei, colludentem « cum Isaac » cum populo christiano aemulatione legalium, observatione dierum, fiducia rituum et caeremoniarum; « dicat Sara », dicat ecclesia delecta a piis, augustis, invictis principibus, « ad Abraham » ad coetum seniorum et patrum, « eice ancillam hanc », eicite doctrinam iudaicam, « et filium eius », et delectu habito, quidquid ex ea doctrina

natum est et profectum aemulatione legis, umbrarum repetitione, observatione legalium. « Non enim erit haeres filius ancillae cum filio meo Isaac », quid Iudaeis cum Christianis? Filii ancillae adhuc in umbris sunt, haereditas nulla ex umbris, sed e re ipsa. Christiani filii lucis, filii veritatis, filii excelsi omnes, haeredes per sanguinem Christi, in spiritu Dei. Non ludat Isaac cum Ismaële, eicite, eicite ancillam hanc et filium eius. Haec fore aliquando, viri principes, tam video animo, quam ea, quae nunc oculis cerno: ea ut nostris temporibus contingant, faciat pater Domini nostri Iesu Christi.

## RECITA CAPUT QUARTUM.

Tentaverunt pontifices Romani Deum, cum pro suavissima gratia Domini nostri Iesu Christi, per quam credimus servari, imposuerunt onus grave innumerabilium praeceptorum, reclamante Petro et Paulo, sanctissimis apostolis. Neque vero est dubitandum, pontifices, scribas et pharisaeos Hierosolymanos gessisse typum horum nostratium, de quibus dixit Dominus: « Alligant onera gravia et importabilia et imponunt in humeros hominum ».

## Declaratio testimonii IV.

Consequens erat necessario ex tanta aemulatione legalium, ceremoniarum, traditionum, ut durissimum iugum imponeretur cervicibus fidelium gentium et nationum; quas ut a iugo legis liberaret Christus, magnis susceptis laboribus, mori potuit et voluit, ut pro libertate suorum vitam cum sanguine in cruce profunderet. O indignum facinus! o scelus horrendum! o incredibilem impietatem! Quantum Christus sua morte generi humano profuit, tantum quantum in ipsis fuit, pontifices Romani obfuerunt. Christus a lege nos liberavit; pontifices reiecerunt in legem. Christus laqueum contrivit; pontifices non laqueum sed laqueos restituerunt. Christus in coelum abiens animis nostris pacem veram reliquit; pontifices ad inferna descendentes pacis et quietis spem sustulerunt. Quae enim pax homini esse potest in ea turba praeceptorum, quae si non singula serventur, peccatum, inquit, est mortale, quod est poena animis mors est proposita? Hoc multis ac multis saeculis, conscientiiis ulceratis, universae audierunt ecclesiae, corpus ipsum scilicet Christi, quod quoniam



crudeliter, impie, miserabiliter confossum est mucrone isto vestro, pontifices, nihil vobis mirum videri debet, si ea ex me audietis, quae Caiphae, quae Herodes, quae Pontii, si viverent, non audirent. Nam erant illi quidem manifesti ac aperti hostes Christi, vos domestici inimici et proditores. Dum vos servos servorum Dei appellabatis, nemo unquam putavit inimicos fore Christi. Dum vos Petri officio fungi velle ubique gentium praedicabatis, credidimus vos Christi discipulos et perfamiliares; cuius corpus quia postea discidistis mirum et miserum in modum, fateor me non habere, quo vos nomine satis digne appellem. Integerrima vita et admirabili vir, Bernardinus Ocellus Senensis, cum ex lege non esse iustitiam, sed per Christum Iesum superioribus annis evangelice et apostolice doceret, et vos ob id ipsum Italia expulissetis, appellavit pontifices Romanos antichristos. Parum hoc fuit, si quid gravius dici posset. Nam quis usque adeo Christi nominis est inimicus, cuius opera ita ablegata sit eius libertas ab orbe, cuius tantae minae fuerint in defensores libertatis christianae? Nulla vis tormentorum acerrimorum a vobis praetermissa est, ita ut crudelissime quibusdam necatis, inquisitionis et mortis metu caeteri perterrerentur, qui longissime aberant; iis quoniam vim et manus adferre non poteratis, execrationes publice exercuistis, non intelligentes pietate et iustis precibus Deum, non devotione iniqua concitari. Nam vetus est prophetae: « Quomodo maledicam, cui Deus non maledixerit? »

Vobis ad libertatem Christi satis videbatur fore, si pileo quidam donarentur. Perbelle saepe illuditis populo Dei. Non pudet vos curare, ut eius insignia in honore sint, cuius estis eversores? Nolite mentionem facere libertatis, quam funditus sustulistis. Neque vero mihi novum neque inopinatum est, si quod superioribus annis indignissime fuit obiectum Germanis, id nunc ego quoque audiam, defensione hac libertatis Christi, licentiam carnis quaeri. Mirum profecto est, quam pontifices Romani et eorum asseclae doctrina et vita et conviciis pharisaeorum sint simillimi. Omnia in scribas et pharisaeos dicta a Christo in hosce verti possunt. Nihil est dubitandum pontifices, scribas,

et pharisaeos Hierosolymanos gessisse typum horum nostratum. Cum libertatis huius iaceret fundamenta Christus, quid audivit? « Ecce homo vorax et potator vini ». Sobrietatem, siccitatem, continentiam et in rebus omnibus modestiam ego amplector et laudo: neque haec tollit christiana libertas, sed facit ut omnia suo commodo fiant. Suillae carnis usum tollebat Moyses, eam concedit Christus, non ut helluonem alat, sed ut tuo commodo, cum usu venerit, his carnibus, non caeteris, uti possis. « Surge, occide », dictum est Petro, et « manduca »; non est ea vox licentiae, sed libertatis; neque enim iubet, ut uno tempore ad gulam pisces, aves, feras et pecus occidat, ut ingurgitet, sed ut libertatem ostendat, non minus his quam illis, non plus hodie, quam cras et perendie vesci licere, sobrie tamen et moderate, « cum gratiarum actione », inquit Paulus. Ebrietatem, crapulam, deliciarum curam, magnifica et sumptuosa convivia, quae utinam nulla sint in pontificibus Romanis et collegis, damnat Christus, improbant apostoli. Nam quid illud est? « Attendite autem ne forte graventur corda vestra in crapula et ebrietate ». Quid item illud? « Abiiciamus opera tenebrarum, et induamur arma lucis, sic ut in die honeste ambulemus, non in commensationibus et ebrietatibus ».

Modestum ciborum usum admittunt et probant, gratiarum actionem inculcant, apostoli, quod sabbatum et caeteros dies et caetera omnia creatur Deus, mundarit Christus, ut homini christiano serviant. In villa sum, hospes ad me divertit; sunt mihi pulli gallinacei, sunt colombini, est grex et propterea copia agnorum et haedorum est Deo gratia. Excipitur hospes humanissime et fraterne: venit illi in mentem diem veneris agi; conturbamur, neque enim sunt pisces, non ova, non fortasse nummi; quod meo commodo atque hospitis facere poteram ex libertate christiana, ut pullos occiderem et apponerem in coenam, sanctione pontificia non possum. De coelo vox est: — Occide et manduca. — Christi vox est: — Manducate quae apponuntur vobis. — Pauli doctrina est: « Omnis creatura Dei bona est, et nihil reiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur ». Antichristus papa denunciatur: « Ne manduces, ne comedas sexta vel septima feria sub poena peccati

mortalis ». Quid est « sub poena peccati mortalis », nisi cum hoc feceris morte aeterna morieris? Itaque, quantum in pontificibus est, dum iudicant inter diem et diem, praecepto eorum morior Deo, qui, ut sibi viverem, per aspersionem sanguinis filii sui omni periculo liberarat. Huc illud accedit, si appono, offendiculo sum hospiti. Quid autem inquit Dominus? « Vae homini, per quem scandalum venerit ». Per quem autem nunc venit nisi per pontifices, per quos edictum propositum fuerat tanta poena? Vae ergo pontificibus Romanis, non ego dico, sed Dominus. Ubi enim lex non est, nec prevaricatio, nec offendiculum. Quae sunt ludibria ista superstitionis? quid de iis disserimus, quasi Christus aperte non dixerit: « Audite et intelligite »? Non vult pontifex Romanus, ut audias; qui spiritum Christi habent, non possunt non audire, immo vero videntes vident, et audientes audiant. Quid dicit Dominus? « Audite et intelligite: non quod intrat in os coinquinat hominem, sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem. Tunc accedentes discipuli eius dixerunt ei, scis quia pharisaei, audito verbo hoc, scandalizati sunt ». Nonne et nos possumus dicere? nostine, Domine, pontifices Romanos et eorum assecclas audito hoc esse scandalizatos? At Dominus: « Omnis plantatio — inquit — quam non plantavit pater meus coelestis eradicabitur ». Non magis id dictum in pharisaeorum traditiones quam pontificum. Nostis quae plantatio non est plantata a patre? quae repugnat evangelio filii. « Filius » enim « et pater unum sunt. Sinite illos; caeci, inquit, sunt et duces caecorum ». Tam dictum hoc de scribis et pharisaeis quam pontificibus, si in eodem errore versantur. « Caecus autem si caeco ductum praestat, ambo in foveam cadunt ».

Id praestant decreta, praecepta, traditiones pontificum, si cum evangelio pugnent, ut in foveam cadant tam pontifices, quam qui eos sequuntur. « Respondens autem Petrus dixit ei: Edissere nobis parabolam — ». Utinam peterent vellentque addiscere, ut Petrus, qui Petri successores dici volunt: nolunt vero ipsi de iis doceri sicut Petrus, quod Petri successores non sint, et Petri doctrinam non sustineant. Neque enim abs re est, quod

potissimum Petrus petat edisseri parabolam. « Ait Dominus: — Ergo adhuc vos sine intellectu estis — ». Absit ut putent pontifices Romani hoc sibi a Christo posse dici, cum sanctissimi sint et beatissimi, et errare non possint. O tempora! O mores! quasi vero ignoremus Babyloniae reges quo spiritu agantur. « Non intelligitis — inquit Dominus — quia omne, quod in os intrat, in ventrem vadit et in secessum emittitur; quae autem procedunt de ore, de corde exeunt, et ea coinquant hominem: de corde enim exeunt cogitationes malae, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiae ». A quibus si tantum abstinere homines curassent pontifices Romani, quantum a carniū esu die Veneris et Saturni, minus certe coinquantas haberemus gentes et nationes, quae invocant nomen Domini nostri Iesu Christi. At hi, ut firmarent eorum traditiones, non sunt veriti, eas praeferre praecepto Dei, quibus ne ego imponere videar, agam rebus minime obscuris. Nemo omnium est, qui ignoret, quam incredibili numero multos annos Romae fuerint, immo vero floruerint meretrices, adulteri, scortatores, lenones, sicarii, lanistae, cynaedi, aleatores, harioli, vinolenti, scurrae. Omitto, quod nonnulli ex his in honore summo fuerint apud pontifices: quod vulgare est dico, hosce homines impuros non modo toleranter ferebant omnes esse in urbe, sed salutabant, ut fit, omnes qui occurrebant. Fuit per id tempus fortasse aliquis vel Germanus, vel Italus, qui, dicto Christi confisus vel Pauli sententia, docuit die Veneris et Saturni carnibus vesci licere, nihil esse a mensa reiciendum cum gratiarum actione. Id ubi rescitum est, omnes clamabant haeticum esse, in civitate non ferendum esse, omnes illum adspernabantur, omnes abhorrebant, nemo illum auditu, nemo dignum colloquio existimabat. Quid hoc, pontifices? Extra hanc rem ne verbum quidem expeto. Praeceptum Dei est, « non moechabere, non occides, non furtum facies, non desiderabis uxorem proximi tui, non ancillam, non bovem, non asinum ». Contemptores verbi Dei ea diligentia praecepta ista solvebant, quasi qui servarent condemnari solerent. Quid est, quod tam perditis viris, tu, tu, pontifex, nil commovebare? nam utebaris familiarissime. Quid est,

quod hosce ipsos tui tam honorifice persalutabant? illum miserum, quod is carnes comedisset sexta vel septima feria, omnes tamquam immanem et perniciosam aliquam pestem fugiebant. Hic quoniam tergiversari non licet contra Christum, qui mihi facit animum, quoniamque id mihi solum non respondes, quod solum audire volo, egomet dicam: « In templo Dei sedens efferris supra omne, quod dicitur Deus, ostendens te tamquam sis Deus ». Praeceptum tuum servari vis, non verbo, sed re; Dei praeceptum verbo quidem egregie, re nihil, servari curas. Non mihi, viri christiani, sed veritati credite, transgressione praeceptorum Dei potuistis videre sedere pontifices neque valde commoveri; transgressione praeceptorum suorum surgere pontifices, conturbari curiam, clamorem tolli. — I lictor, mitram impone, colliga manus, virgas expedi, detrude in ignem. — Gulae, inquires, peccatum est indignum. — Non negamus. Hic tu responde. Bonus vir inops atque egens suo commodo die Veneris hoedinam comedit, damnatur: ii, qui exquisitissimis epulis, conchyliis, et omni genere piscium non vulgarium mensas exstruunt, adorantur, Quae haec est, pater Domini nostri Iesu Christi, audacia et inscitia helluonum. Hic, ubi opus est, non verentur; illic, ubi nihil opus est, ibi verentur.

Multa essent dicenda, principes christiani, quae ne molestus sim, praetereo. In uno praecepto pontificum de escis plusculum sum moratus, ut reliqua, quae magno hominum incommodo invexerunt pontifices isti, singillatim a vobis pro prudentia et pietate vestra perpendantur. Sunt enim infinita prope et multo his, quae diximus, graviora, quibus misere onerarunt populum Dei: qua de re Petrum audite clamantem: « Nunc ergo, quid tentatis Deum, imponere iugum super cervices discipulorum, quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus? sed per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus salvari quemadmodum et illi ». — Ob id etiam Paulus apostolus: « Misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret ». Et alibi: « Praetio redempti estis, nolite fieri servi hominum ». Omitto quod manifeste iubet, « non esse iudicandos in cibo et potu ». Quibus sententiis commoneri et contineri non potuerunt

pontifices Romani, ut adimpleretur quod de hoc ipso fuerat praedictum a Ieremia propheta, « posuerunt offendicula in domo, in qua invocatum est nomen meum, ut polluerent eam ». Nunc ergo tanto conventu hominum et frequentia expedit ut solo aequentur praecepta pontificum, ut caput tollere christiana libertas possit, nisi forte expectamus, ut, qui nos a lege Moysis sua morte redemit, iterum crucifigatur, ut redimat a lege pontificum. Episcoporum erat non onerare praeceptis propriis ecclesiam Dei, non pugnare cum evangelio et monitis apostolorum: si quaedam pia videbantur, de quibus non erat praeceptum a Domino, commonere et fraterne hortari poterant, Paulumque imitari dicentem, « praeceptum Domini non habeo, consilium autem do tamquam misericordiam consecutus a Domino, ut sim fidelis ». Nunc ubi vel inscitia vel audacia elati isti pontifices, libertatis christianae nulla ratione habita, gravissimis praeceptis oppresserunt populum Dei, resistere ac repugnare tandem vos, principes viri, debetis, neque recusare sudore et sanguine Christi partam vobisque traditam libertatem pie, sancte, et auguste defendere.

## RECITA CAPUT QUINTUM.

Non dubitant, qui spiritu Dei aguntur, Spiritum sanctum locutum esse per Paulum apostolum, cuius evangelium sanctum est. Itaque, qui Pauli instituta reiciunt, Spiritum sanctum reiciunt; in quos adhuc clamat apostolus: « An experimentum quaeritis eius, qui in me loquitur Christus? ». Huius apostoli doctrinam et instituta ita sustulerunt pontifices Romani, ut qui eorum sedem apostolicam appellent, quod Pauli doctrinam sequantur, dicant malum bonum et bonum malum, ponentes lucem tenebras et tenebras lucem.

## Declaratio testimonii V.

Non possum non mirari vehementer tanta audacia fuisse homines, ut iis, quae divino testimonio sancta et firma essent, manus inferre, et iura divina confundere, et in coelum os suum ponere non sint veriti. Qua in re, quid in causa fuisse dicemus nisi prudentiam hominum? Quae, nisi probe se norit, quam sit infirma et tenuis, tam est temeraria tamque audax, ut facile efferratur in Deum. Hinc illae cogitationes quorundam impietatis et superbiae plenae, qui nonnulla vel frustra vel ad perniciem producta fuisse a Deo queruntur, quasi ipsi ad rerum temperationem sedissent, multa melius fuissent disposituri. Horum certe sunt quam simillimi, qui Spiritus sancti instituta per apostolum non sunt veriti rescindere. De quibus Irenaeus egregie: « Deserti — inquit — igitur cum sint a paterna dilectione, et inflati a Satana, abstiterunt sententiis ab eo, qui est Deus, et putaverunt quod a semetipsis plus invenissent quam apostoli, se autem sinceriores et prudentiores apostolis esse ». Qua de

re Augustinus: « Opus est — inquit — mitescere pietate, neque contradicere divinae scripturae sive intellectae, sive non intellectae, quasi nos melius sapere meliusque percipere possimus; sed cogitare potius et credere, id esse melius et verius, quod ibi scriptum est, etiam si lateat, quam id quod nos per nosmetipsos sapere possimus ». Utinam perpendissent haec pontifices Romani! Non enim ausi essent commutare, antiquare, evertere institutiones Pauli, quasi sapientiores. Utinam vel legissent, quae colligunt, in principio earum institutionum, omnes prope interpretes! Nam cum sic esset exorsus: « Paulus apostolus Iesu Christi secundum imperium Dei », commentatur Chrysostomus: « porro ubique dum scribit apostoli nomen adiungit, ut audientes erudiat, ne humana esse existiment, quae dicuntur ». « Secundum imperium Dei », — commentatur Anselmus — « non secundum suam praesumptionem; qui ergo ei resistit imperio Dei resistit ». Theophilactus inquit: « Cum legem de constituendo episcopo et diacono sit Timotheo daturus, se ipsum apostolum nuncupat, ut suis dictis faciat fidem, perinde ac si dicat, — neque enim, quae mea sunt loquor, sed eius, qui me ut apostolus sim destinavit; cavendum itaque, ne mea haec iusta praetereas; neque enim hanc ipse mihi arripui dignitatem, sed Domini — inquit — defugere mandata non queo ».

Quorsum vero interpretum testimonia? Nihil his valde opus est. Clamat apostolus: « an experimentum quaeritis eius, qui in me loquitur Christus? » Quid ergo est? Spiritus sanctus dicit per apostolum: « Melius est nubere quam uri ». At traditio pontificum: « Damnabile est voventibus velle nubere ». Itaque prohibentur, etiam si urantur. Erudit Paulus in Spiritu sancto Timotheum, monet, rogat ut denunciet, ne quis aliter doceat, quam ipse per imperium Dei constituit de episcopo constituendo et diaconis. « Oportet — inquit — episcopum esse irreprehensibilem, unius uxoris virum, sobrium, ornatum, prudentem, pudicum, hospitem, doctorem, non vinolentum, non percussorem, sed modestum, non litigiosum, non cupidum, sed suae domui bene praepositum, filios habentem subditos cum omni castitate; diaconi sint unius uxoris viri, qui



suis filiis bene praesint et suis domibus ». At traditio pontificum: « In coniugio constitutus in sacerdotium assumi non debet ». Unius uxoris virum in episcopatum assumi non debere, diligentissime est observatum multis saeculis. Sed bene saepe assumpti sunt in episcopatum, non modo qui illis ornamentis careant, quae inesse iubet apostolus; sed etiam extra modum reprehensibiles, ebriosi, impudici, inhospitales, imperiti, vinolenti, avari, multarum concubinarum viri, filios habentes impuros et in omni vita inquinatissimos et infames. Spiritus sanctus per apostolum asserit: « Vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier; uxori vir debitum reddat ». Traditio pontificum: « Presbyter uxorem suam quasi sororem diligat et quasi hostem fugiat. Id vero non intelligi potest ex consensu ad tempus ». Quid hoc est, si instituta apostoli evertère non est, ut firmentur traditiones pontificum? Quid clamas, Paule? Nempe si pontifices Romani credidissent, Christum Dei sapientiam in te locutum, nunquam fortasse tua instituta sustulissent; si quae in epistolis scribis, fuissent arbitrati esse ex Spiritu sancto, qui est spiritus veritatis, spiritus intellectus, putassent, credo, ea omnia obiecta, quae adducuntur, sapientiam Dei et Spiritum sanctum, dum in te is loqueretur, non ignorasse. Cum itaque tam temere tua instituta sublata videam, illud est consecrarium, ut opiner, non credidisse illos, te per imperium Dei, ut tu asserebas, sed per prudentiam humanam ea locutum, in qua cum illi sese longe lateque superiores existimarent, quid est, quod veriti sint in haec prorumpere « quod dignum et pudicum et honestum est suademus »? parum hoc fuisset, nisi aliquando addidissent: « Volumus, iubemus, praecipimus ut sacerdotes et levitae cum uxoribus suis non coëant ». Quasi vero indignum, impudicum, inhonestum esset quod in te loqueretur Christus, dum ea institueres, apostole sanctissime! O blasphemias! « Hortor — inquit — moneo, rogo, ut tollatur hoc opprobrium: sacerdos utique omni momento paratus esse debet, munditiae pietate securus, ne aut sacrificium offerat, aut baptizare cogatur; qui si contaminatus est carnali concupiscentia, quid faciet? excusabit? quo pudore? qua mente usurpabit? qua conscientia? quo merito hic exaudiri se credet? » Haec

Siritius. Miseret me atque pudet huius episcopi. Nam quae est haec scriptorum sacrorum inscitia et perversa interpretatio? Illud, ut sint unius uxoris viri episcopi, non tollit quin possint esse sancti. Et damnatissima haeresis est eorum, qui putant matrimonium esse inquisitionem. Annon daemoniorum est doctrina, quae prohibet nubere? Castum coniugium ita Deo est acceptum, ut plerique omnes affirmant, reputari a Deo in sacramentum. Usus ad generationem legitimus, solutio coniugalis debiti uxori, nonne sunt ex praecepto Dei? o homo, tu qui es, ut statuas in peccatum, quod Deus sic commendavit, ut censeatur inter sacramenta? « Cogitationes meae non sunt ut cogitationes vestrae, — dicit Dominus ». Quid tu extimescis, Siriti? Inniteris, ut vere dicam, prudentiae tuae, et super pectus tuum gradieris, et veluti Sara, ad verba Domini rides occulte. Quid contaminatum et immundum dicis, cum ipse, quod in te optime intorquetur, asseras omnia munda mundis? Per Christum tamen intellige, non per nos, ut tu fortasse arbitraberis, ut merita nescio quae humanae infirmitatis extolleret. Sed ego ad rem.

Paulus si quando in sermonem incidit, praedestinationis ipso nomine exsultat, quodque ex ea magnum imperium, praepotens dominatus Dei, solidum gaudium electorum ostenditur, serio triumphat, tollit eam in coelum, neque sua commendatione contentus adhibet testimonia prophetarum. At Romani pontifices, eius praedicationis sempiterni hostes, nomen praedestinationis tam frequens tamque solemne in scriptura divina oderunt, et sine offensione audire non possunt, atque in ea re, quod mirere, dicunt aures se habere pias. Paulus non ex lege et operibus iustificari hominem apud Deum contendit; quasi athleta fortissimus, fidem effert omnibus laudibus, eamque reputari ad iustitiam proponit gentibus et nationibus. Is sermo durus est pontificibus Romanis et scandalum. Paulus infirmitatem nostram exponit, neque cogitari quidem aliquid ex nobis posse affirmat. At pontifices Romani, nescio quod arbitrium liberum cum asseclis commentati, vires humanas extollunt, neque curant vulgus omne in Pelagii blasphemias ruere. Merita hominum extenuat Paulus, passiones huius saeculi minime

dignas ad futuram gloriam ostendit. At pontifices Romani cum asseclis, nescio quid de congruo et condigno commentati, meritorios actus eliciunt, et meritorum magnitudinem ita praedicant, ut ex his mercimonia ampla sint constituta, et publice nundinentur. Proposita veritate et luce evangelii legalia et umbras reicit Paulus, dierum, mensium et annorum observationes, declarat, obtestatur non esse repetendas. Harum reductione et imitatione ita pontifices Romani sunt delectati, ut implerint magna volumina umbrarum legalium et ceremoniarum. Invehitur Paulus in eos, qui angelos mediatores inter Deum et homines asserebant, quod in veteri lege aliquid erat, quod deferri preces nostras per illos ad Deum commonebantur. Hac causa epistola ad Colossenses scripta est, in qua aperte refutat illorum commentum, monetque non nisi unum esse mediatorem Dei et hominum Christum. Pontifices Romani non modo angelos sed animas sanctorum hominum, exutas corpore, praeter Christum mediatores intercessoresque esse contendunt, quod est interponi inter nos et Deum, quibus — ut illi loquuntur — mediantibus et intercedentibus nobis reconcilietur, et in eos, qui unum, unum Christum affirmant pro nobis adstare vultui Dei, patronum, advocatum, intercessorem, saeviunt universos. Quae omnia magno studio, incredibili diligentia oppugnantur a pontificibus Romanis, advocatis etiam scriptoribus undique eloquentissimis et defensoribus pugnacissimis, qui dibaphum, qui hyacinthinam vestiant, magnis propositis praemiis, quod doctrina Pauli (huc omnia spectant) ad quaestum pontificum Romanorum, ad firmandos census minime sit accomodata.

Sed ut ego iam me his expediam, Paulus monet manifeste, « Spiritum dicere discessuros quosdam de fide, et auscultaturos spiritibus erroris et doctrinis daemoniorum prohibentium nubere et abstinere a cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus ». Hortatur Timotheum, ut haec doceat; addit: « Haec proponens fratribus bonus eris minister Christi Iesu ». Nos haec proponentes fratribus appellamur haeretici, cogimur in vincula, virgis caedimur, detrudimur in ignem. Crudelissimi Neronis et Diocletiani sunt exempla ista, Romane

pontifex. Liceat mihi in te Hilarii illa repetere, ubi in nos saevitia silent et tormenta ipsa defessa sunt, « contra Deum pugnas, contra ecclesiam Dei saevis, sanctos Christi occidis, religionem tollis, tyrannus non iam humanorum sed divinorum christianum te mentiris. Christi hostis vetus es, condis fidem contra fidem, doctor prophanorum, eversor piorum, divitias ad terrorem ecclesiae Christi disponis, ad labem, ad perniciem, imperitos rerum ad impietatem compellis, non trudis in carcerem ad libertatem, sed intra palatium honoras ad servitutem; multis non gladio caput desecas, sed animum auro occidis, subrepis nomine blandienti, illudis specie religionis, Christum confiteris ut neges Christi fidem, Christi mendax assertor evertis unitatem, procuras, ne pax sit, haereses comprimis ne christiani sint, sacerdotes honoras ne sint episcopi ». Haec quae ille in alium, percommode ego in te, pontifex Romane: quod indignissimum sit, per eum episcopum, quem nonnulli praesidem apostolicae doctrinae custodemque esse voluerunt, apostolicis institutis impudentissime sublatis apostolicam doctrinam esse eversam.

## RECITA CAPUT SEXTUM.

Pontifices Romani non sunt veriti rescindere verbum Dei, ut firmarent traditiones hominum, quos in spiritu videt propheta Ieremias dicens: « Et pervertistis verba Dei viventis, domini exercituum, Dei nostri ».

## Declaratio testimonii VI.

Etsi ex iis, quae diximus, in obscuro esse non potest, Christi spiritus loquentis in Paulo nullam habitam fuisse rationem, et propterea indignissime rescissum verbum Dei, ut firmarentur traditiones et mandata hominum; tamen ut audacia et impietas eius ostendatur, « quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, et illustratione adventus sui », pauca suggeram, quibus testimonii veritas comprobetur. Deus per Moysen famulum loquitur, repetit per Christum filium, « honora patrem tuum et matrem tuam, sicut praecepit Dominus Deus tuus ». Quamobrem tales filios iubet esse in parentes ut illorum aetas ingravescens in officio et pietate acquiescat liberorum. E traditionibus a pontificibus Romanis probatis et firmis propter vitam monasticam sancitur, ut liceat homini, immo vero expediat, parentes, fratres, sorores, liberos relinquere. Decepti sunt qui hoc tradiderunt, veluti Eustathius, a quo, etsi damnato, cucullati multa accepisse videntur, falsa eius dicti interpretatione, quod adducunt, « omnis, qui reliquerit domum vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum; centuplum accipiet et vitam aeternam possidebit ». Quod eo est dictum si pro Christo filio Dei asserendo defendendoque eius evangelio, necesse sit quempiam omnia relinquere; ita sese accingere debet homo christianus, ut neque periculi impendentis metu, neque dilectione rerum sibi carissimarum ab assertione

Christi, a defensione evangelii abducatur. Hoc illud est, « qui perdiderit animam suam propter me, salvam faciet illam ». Quod si parens tibi sit, aut frater, aut propinquus, qui de Christo male sentiat, tibi que eam ob rem sit iratus, teque accuset, curetque aut de medio tollendum aut abducendum a Christo, relinquendi sunt potius illi, quam Christus deserendus. Eam ob rem dixit Dominus: « Non veni pacem mittere sed gladium; veni enim separare hominem adversus patrem suum, et filiam adversus matrem suam, et inimici hominis domestici eius ». At si pii tibi parentes sint, iam senio confecti, si sorores nubiles, si fratres, si liberi christiane agentes et indigentes ope tua; non licet tibi abire in solitudines, ut agas vitam monasticam et ocio languescas: multo sudore ac labore, ut pietatem serves, pater, frater, liberi sunt nutriendi, multo sudore panis tibi et iis est comparandus ut dicto Dei sis audiens: quod, si pius es, mi frater, pluris facere debes, quam traditiones et mandata hominum, qui rescisso verbo Dei concinunt, « licet parvulus ex collo pendeat nepos, licet sparso crine et scissis vestibibus ubera, quibus te enutrierat, mater ostendat, licet in limine pater iaceat, per calcatum perge patrem ». An id est, quod declarat apostolus? « Si quis autem suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit et est infideli deterior ». An hoc est, quod praecipit Deus: « honora patrem tuum, per calcatum perge patrem? »

At vero quoniam vita monastica eo maxime commendatur, quod coelibatum illa prae se ferat et colat, aliqua a nobis hic etiam sunt dicenda: qua in re extrema video quosdam secutos. Nam qui virginitatem ita extulerunt, ut nuptias improbarent, magnopere erraverunt; qui item nuptias virginitati praetulerunt, fecerunt indignissime. Paulus sanctissimus apostolus laqueum iniicere se nolle dixit; at consilium salubre quidem dedit, ut unusquisque in sua vocatione maneret. Solutus es, neque in fornicationem te labi vides: sat firmo corpore, firmissima mente, non accendi, non uri sentis? donum hoc non volgare est, mi frater, ex Deo, ex Deo est. Non esto superbus, non immemor, non ingratus. Non haec sunt ex carne et sanguine, ex Deo sunt haec munera, gratiae Deo agenda sunt; nam in vocatione persta in coelibatu.

Non tamen ex eo pii parentes et fratres deserendi sunt. Si ocium fugiendum est, non deerit ager vel alienus, in quo defatigare, ut ex iis, quae supersint, elemosynam des, et « omnia — inquit Dominus — remittentur tibi ». An velut amica lutosus amandari et ad claustrum tantummodo ali vis, ubi pane alieno victites, ociosus, nunquam proximum adiuturus. Nam quod deprecatione isthuc te facturum polliceris, potes aequae in villa atque urbe, more Pauli et caeterorum apostolorum, quos imitari debemus. « At si ligatus es — inquit apostolus — non est quaerenda solutio, custodienda uxor, sicuti et caro tua », succurrendum item fratribus, sustentanda est vita patris et matris, pie educandi liberi, eorum ratio tibi reddenda est veluti villicationis et hic et alibi. Nam quod documenta eam rem nobis voluit esse apostolus in episcopo deligendo, imprudenter fecerunt, qui signum de episcopo et sicuti experimenti genus non incertum sustulerunt. « Filios habentem, inquit, diligere oportet cum omni castitate »: ad quod respexisse videtur concilium Carthaginense tertium, « ut episcopi vel clerici suos filios a sua potestate per emancipationem exire non sinant, nisi de moribus eorum fuerint et aetate securi, ut possint ad eos iam propria pertinere peccata ». At si quis in fornicationem dabitur, etiamsi in claustrum sit, si accendi, si uri se sentiat, melius est — inquit apostolus —, « nubere quam uri »: ea remedia nulli hominum generi sunt deneganda; siquidem ob id dictum, « propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat ». Hic magno numero cucullati et clerici, etsi prope omnes impurissimi et falsi coelibatus involucro, per quam similes sint, ut dixit Dominus, « sepulcris dealbatis, quae de foris appareant hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum et omni spurcitia »; clamant tamen et apostoli dictum obiiciunt: « Nemo militans Deo, implicat se negotiis saecularibus ». Commentatur per haec verba Paulum mandasse, ut sacerdotes coniugio abstinerent, ne negotiis saecularibus implicarentur, quasi vero regnis inhiare, tyrannidem exercere, conflare bellum, hos atque illos detrudere de regnis avitis, in hiis spurios suos collocare, aut cognatos, excitare reges, advocare Caesares, conducere externas nationes, permiscere

omnia, perturbare bello provincias christianas ob regnum obtinendum, agere internunciis, legationibus ultro citroque, negocia saecularia non sint et mentes non implicant.

Sed quoniam haec sunt sanctissimorum pontificum Romanorum propria, ad ea venio, quae sunt eorum asseclarum. Quasi vero ambitione titillari, subviridis pilei et rosei desiderio ardere, et primam cathedram in ecclesia, ut pharisaei in synagoga, appetere, in fastu illo per urbem incedere, palatia exaedificare ad memoriam, piscinas et septa ad gulam, equos alere et canes ad voluptatem, et sexcenta parare ut in omni luxu vivant, negocia saecularia non sint et mentes non implicant. Coniugium unum negocium saeculare est. Quanto melius ex hoc ipso colligit concilium Carthaginiense tertium: non castum coniugium sed divitiarum curam et ardorem avaritiae ab episcopis et clericis ex sententia apostoli esse abigendum. « Ut episcopi — inquit — et presbyteri, et diaconi, vel clerici non sint conductores neque procuratores, neque ullo turpi lucro vel inhonesto negotio victum quaerant; quia respicere debent scriptum esse: — Nemo militans Deo implicat se negociis saecularibus ». Et Carthaginiense quartum; « ut episcopus vilem suppellectilem ac mensam et victum pauperem habeat, et dignitatis suae auctoritatem fide et vitae meritis quaerat ». Non loquor ad sensum episcoporum nostrorum, fateor; ex Pauli apostoli sententia loquor, quam si secuti fuissent pontifices Romani, non in hos abusus abiisset ecclesia. Audite vos, obsecro, principes christiani, Paulum apostolum ubi episcopi nolunt audire. Scribit is ad Timotheum episcopum de episcopis, qui et quales esse debeant, ut Deo militantes non implicentur negotiis saecularibus: « Haec doce et hortare; si quis aliter docet, non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi ». Quanti id est? « Si quis aliter docet, non acquiescit sanis sermonibus Iesu Christi ». Pergit sanctissimus apostolus: « Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus ». His, inquam, contenti simus. « Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli et desideria multa inutilia et nociva, quae mergunt homines in interitum et perditionem; radix enim omnium malorum est cupiditas ». Sunt haec clarissima, quae vel satis



esse deberent episcopis, qui pro regno, pro censu firmando digladiantur et apostoli dicta invertunt. Veluti et illud: « Qui in carne sunt, Deo placere non possunt, vos autem non estis in carne, sed in spiritu ». Quod non eo dictum est, ut coniugio sit abstinendum; sed ne veluti carnei omnino simus, neve secundum carnis sapientiam ambulemus, sed in spiritu ». Nam si hoc esset, « esse in carne », uxorem habere, ut isti dicunt, illud esset consequens, neminem omnium, qui uxorem habeat, Deo placere posse; christiano itaque homini uxorem ducere fas non esset. Et quae commenta haec sunt? Pudet me horum theologorum. Mala, inquit, sunt opera carnis. Est id profecto verissimum. At quae sunt opera carnis? num castum coniugium? num matrimonium sanctum? num thorus immaculatus? minime; « sed fornicatio — inquit apostolus — immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiae, contentiones, aemulationes, rixae, dissensiones, sectae, invidiae, homicidia, ebrietates et his similia », quae in homine christiano esse non debent. Haec si, ut par erat, fuissent exposita et illustrata, non in claustra refugissent multi, veluti abhorrentes a praecepto Dei, quod est « crescite et multiplicamini ». Itaque persuadendum erat iis, quibus illud virginitatis munus a Deo non erat concessum, ad aliud sese esse vocatos, quod si pudice servarint, Deo fore acceptissimos dignosque ut ad omnes gradus, ad omnes honores provehantur, modo curent ut coniugali sacramento crescant, et Domino legitime multiplicentur, familiae bene praesint. Nunc si quis fiat episcopus vel presbyter ex iis, qui uxorem habeant, coelum et terra miscetur: episcopus sine uxore, si in omne genus vetitae libidinis ruat, toleranter fertur; si quis, ut cucullatus fiat, parentes, fratres, liberos, qui in egestate sint, relinquat, pius habetur: at si iam senio confectis prope parentibus, si fratre mortuo, filiis superstitionibus, infirmissima aetate, ut miseros sustentet ac alat a claustro in patriam domum redeat; apostata est et sacrilegus appellatur. Si in cucullatorum manus venerit, auctoritate ea, quam habent a pontificibus Romanis, in vincula coniicitur, afficitur suppliciis crudelissime, ut illud sit in comperto: a pontificibus Romanis, ut firmarentur traditiones hominum, rescissum est verbum Dei.

## RECITA CAPUT SEPTIMUM.

Arroganter fecere homines et perverse, qui Christi praecepta consilia appellarunt, ut eo verbo minus adstringi videamur, sanctiones autem pontificias praecepta dici voluerunt: cum contra, humana illa consilia et commenta erant appellanda atque habenda; divina vero haec, quibus verissime sumus adstricti, praecepta de quibus non ego dico sed Dominus, « qui solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno coelorum ».

## Declaratio testimonii VII.

Si Christi mandata quaedam, quod imbecillitate virium humanarum vix servari posse videantur, eo non sunt appellanda praecepta, neque omnibus dicta sunt; quid dicendum de praecepto Dei per Moysen, « diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua ». Num non omnibus est dictum? Quid de illo: « non concupisces »? Num quod imbecillitate virium humanarum vix servari posse videatur, non erit praeceptum? num non ad omnes spectat? Illa per Moysen servari sunt iussa: haec per Christum, cuius mandata qui violarit, pollicetur se ultorem Deus. « Prophetam — inquit — suscitabo eis de medio fratrum suorum, et ponam verba mea in ore eius, loqueturque ad eos omnia, quae praecepero illi. Qui autem verba eius, quae loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam ». Quod si praecepta nihil aliud sunt, quam mandata cuiusquam praepotentis auctoritate praediti, quibus non servatis poena in transgressores est constituta; ego quidem quod isti dicant, nihil video. Testimonium de auctoritate Christi quaerimus? dedit per

Moysen pater amplissimum; proxime vero locutus est nobis in filium, « hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite ». Iis mandatis adsignatis non poena sed poenae sunt constitutae, « quod qui non servaverit, minimus vocabitur in regno coelorum, quod reus erit iudicio, quod reus erit concilio, quod in carcerem mittetur, quod totum corpus eius ibit in gehennam ». At vero in eodem capite habetur, « diligite inimicos vestros, benefacite iis, qui vos oderunt ». Consilium est: quod sequitur, « mutuam date, nihil inde sperantes », erit praeceptum. Ex mutuo si quis teruncium acceperit, non est ferendum: caetera si non servarit, sat potest ferri. Praeceptum est, ne quis uxorem dimittat, excepta causa fornicationis; quid ita? quia praeceptum est a Christo, « audistis, quia dictum est antiquis, quicumque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudii: ego autem dico vobis, quia omnis, qui dimiserit uxorem suam, excepta causa fornicationis, facit eam moechari ». Hac dicendi formula elicitur praeceptum. Bene est. Perge: « item audistis, quia dictum est antiquis, non periurabis, reddes autem Domino iuramenta tua: ego autem dico vobis, non iurare omnino ». Non est hoc praeceptum? quid ita? nonne eadem dicendi forma? nonne continuum est? non repetitum ab apostolo Iacobo? repetitum. Non tamen est praeceptum, vel si praeceptum, non ita intelligendum, ut omnino non liceat iurare.

Orat hic servus Iesu Christi vos, principes, in quibus habitat spiritus Dei, ut neque humili neque levi de re audiendum et iudicandum putetis. Nam quid hoc est? quid querar? quo me vertam? Utinam mihi tale aliquod ingenium esset, aliqua dicendi facultas, ut impietatem istorum si non omni, aliqua saltem ex parte possem ostendere. Instituta apostolorum sublata sunt. Doctrina apostolica eversa, rescissum est verbum Dei, quae tanta ista impietas coniuravit in divinum ius, ut iis rebus non potuerit expleri. Ea impietas, ea impietas, nisi occurritis, principes, nisi resistitis, recta ad evertendum evangelium Christi, recta profiscitur; et quoniam prudentia humana inimica Deo est, cum ea hostes Christi, societate inita, impietate duce, bellum inferunt evangelio. Mirum quot tormenta quacumque potuerunt

adduxerint, quot auctores ex magnis commentationibus allegarint, ut terra marique oppugnetur praeceptum Christi.

Sed ego, ut belli huius causam exponam, pauca dicam, principes, quibus vos de tota re facilius iudicare possitis et pro vestra pietate malo perniciosissimo mederi. Prudenter non modo Iudaeae, sed et populi Graeciae veteres et Romani facere visi sunt, quod iuramentum in omnibus prope rebus adhiberent. Hinc iuratos iudices, iuratos testes, iuratos milites, iuratos magistratus, iuratum senatum passim legimus, et quid denique non iuratum in singulis, quae antiqui obibant tum publice tum privatim, ut vel maxime iurisiurandi religione, quae penderent ex promisso, firmiora essent? Indignum visum est pro prudentia nostris hominibus, tam frequentem tam solemnem morem praecepto evangelico omnino tolli; omnia meditati, omnia commentati sunt, ne tolleretur solemnis gentium usus et consuetudo; cum tamen a Christo dictum meminisse poterant, qui haec providebat, sic fore aliquando, «in vias gentium ne abieritis». Alii non a iuramento dixerunt Christum praecepisse, ut abstinere, sed a periurio. O miram crassitudinem! o ineptias singulares! Sic enim agunt, quasi verba Domini obscura esse possint. Exstabat praeceptum, ut a periurio abstinere. Non hoc assumit Christus, sed aliud et maius infert. Quid? «Audistis, quia dictum est in antiquis, non periurabis, reddas autem Domino iuramenta tua; ego autem dico vobis, non iurare omnino». An potuit dici clarius, quam «non iurare omnino»? Alii, quia hoc non valde placebat, aliud commentati sunt, Christum non praecepisse per haec, ne iurare, sed voluisse omnino, ut neque per coelum, neque per terram, quod est, neque per nomina angelorum, neque per angelos, neque per capita hominum aut creata reliqua, sed per ipsum Deum iurare. Est profecto hoc commentum illius pharisaici quam simillimum, quod improbat Dominus, qui sua verba, lux mundi, imago Dei, in obscuro esse non patitur. «Stulti — inquit — quid hoc est? «quicumque iuraverit in templo, iurat in illo et in eo, qui habitat in ipso, et qui iurat in coelo, iurat in throno Dei et in eo, qui sedet super eum»; cum praecipit ergo Christus, «non iurandum neque per coelum neque

per terram, quia coelum thronus est Dei, terra autem scabellum pedum eius »; praecipit non esse iurandum neque per eum, qui in throno sedet. Itaque ut christiane et evangelice nonnulli multis iam saeculis docuerunt, et aliqui nostris temporibus contendunt, Christus vetuit omnino suos iurare. Quid dicitis, pontifices? non teneri praecepto Christi populos, an teneri? Nam quod omnia commoda nostra, spem, salutem, vitam obtinemus a Christo, non puto vos aperte nobis suasuros, ut a Christo recedamus: id quoniam clandestinis consiliis cum asseclis et collegis vestris agitis, ut scilicet, vos secuti, recedamus a Christo; genus eiusmodi hoc est, quod principum animos excitare atque inflammare debet. Nam quod eo usque vos diligitis, ut neminem dignitate exaequari patiamini, potest hoc, si velint homines, ferri: sed quod praeceptis Christi nolitis adstringi homines sed vestris, hoc non est iam cum hominibus sed exaequari cum Christo, immo vero et superare et vincere velle: id, si quid novi ego hos, principes non ferent: qui quoniam non ut contemptores verbi Dei, sed ut iudices veritatis, pulcherrime sedent; recitemus omnia argumenta, quibus vestri asseclae per vos egerunt, non ut verum inveniretur, sed ut falso abducerentur gentes et nationes.

Deus iurat: ergo nobis licet iurare. Quanti est veritas, principes, quanti est spiritus Christi, nihil poterat adduci, quo sensus Domini magis eluceret, « non esse iurandum », quam hoc ipsum argumentum, in quo, quoniam veluti ex praecedenti agunt et consequenti, quod Deus iuret propterea et nobis liceat iurare; primum illud esset videndum ex collatione, qui nos homunculi simus, quis et quantus sit Deus. At ego quidem neque mearum virium tam malus sum aestimator, tamque ignarus, ut ausim eo ingredi, unde nulla unquam inventura exitum oratio est. Tantum cum propheta colligam « Domini esse terram ad plenitudinem eius, Domini esse coelum et quidquid ubique est, Domini eam esse potentiam, ut quaecumque voluerit fecerit in coelo et in terra ». Quam contra sit vis exigua vel nulla hominum, non crediderim ego melius usquam ex alio intelligi posse, quam ex his verbis Domini: « Non potes — inquit — non potes unum capillum facere album aut nigrum ». Mira haec virium

exiguitas et impotentia, quae propterea hic commonstrata est a sapientia aeterna Dei Christo, ne omnino iurarem, qui nihil habeamus, quod iuramento interponere et polliceri possimus. « Si per coelum polliceris ac iuras, coelum — inquit Dominus — thronus est Dei, si per terram, terra est scabellum pedum eius; si per Hierosolymam, civitas ea est magni regis. — Per caput — inquires — meum iurabo —: Hoc quoque tuum non est; nam omnes capilli capitis tui numerati sunt, neque ex his tam minimis capillum potes facere album aut nigrum ». Quid ergo est, quod tam magnifice possis polliceri, quod est iurare? Ridicula ergo illa sunt magni tamen cuiusdam interpretis, « cum dicit quisquam « per meam salutem » salutem suam Deo obligat; quando dicit « per filios meos », oppignerat Deo filios suos »; quasi haec omnia non sint Dei. Sed ego redeo ad argumenta adversariorum. Deus iurat. Nostine quare? quia omnia unus novit, omnia sunt eius, is firmissime potest polliceri, is vere potest iurare, quia omnia novit, omnia quaecumque voluit, fecit in coelo et in terra. Nam per quid iurat? « Per memetipsum — inquit — iuravi Dominus »; quia ipse unus est omnia in omnibus, ipse sibi regnat; tui autem filii tui non sunt, immo vero « tu tuus non est sed Domino tuo stas aut cadis ». Cognosce ergo, quam sis exiguus, vel melius, sine Deo nullus. Quamobrem, ait Dominus, « audistis, quia dictum est antiquis; non periurabis, reddes autem Domino iuramenta tua: ego autem dico vobis, non iurare omnino, neque per coelum, quia thronus Dei est, neque per terram, quia scabellum est pedum eius, neque per Hierosolymam, quia civitas est magni regis; neque per caput tuum iuraveris, quia non potes unum capillum album facere aut nigrum. Si autem sermo vester est est, non non: quod autem ab his abundantius est, a malo est ».

At vero apostolus Paulus iuravit. Qui haec dicunt, si ab interpretibus graecis potius petant, quos linguae graecae peritiores fuisse par est, quam a latinis, passim legent, « adseverantis haec sunt Pauli, non iurantis ». Huiusmodi illa sunt, « quae autem scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior. Et Deus scit, et testis est mihi Deus. Nam in eo quotidie morior

per nostram gloriam». Nihil est tantopere mirandum, quod particula usus est, quam Graeci adhibere solent iurando. Tale quid est nostrum «per», quo utimur vulgo, cum firmiter aliquid volumus adseverare. Hac ipsa Graecorum voce nostrum «hercle» et «mediusfidius», nescio quid est maius, quo tamen nonnulli nostro quoque tempore utuntur: eos si roges, dicent nihil a se longius abfuisse, quam per Herculem iurare. Significatum vetus recessit, vox ipsa remansit, quam veluti longo usu tritam et nostram eloquentes scriptores ad numerum orationis aptam non reiciunt. Sicuti enim, cum viam aliquam quotidie imus ac redimus, singula, quae pede terimus, non respicimus, sed quaecumque pedes apte ferunt, incedimus, praesertim si in cogitando fuerimus occupati; sic in progressu et filo orationis in singulis vocibus non insistimus, sed quaecumque opportune nobis offeruntur, eas accipimus, ut ad maiora quaedam, in quibus totus est animus, veniamus: in minimis istis et in singulis litteris atque interpunctionibus occupari, non modo theologis, qui praepetis mentis haustus ex aeternis illis mentibus sequuntur, sed etiam oratoribus antiquis puerile ac turpe fuit. Ex sensu Pauli nihil est, quod pervertas praeceptum Christi. Sensus enim ex verbis illis hic est apertissimus: si Christus non resurrexit, ut quid nos periclitamur omni hora? «quotidie — inquit — morior, nae gloria nostra», quae ex resurrectione est, «de qua, — inquit, — quia non ambigo, omni hora tot periculis me expono, ut quotidie prope moriar, et libenter quidem: nae nostram ob gloriam»; scilicet resurrectionis, quam habemus in Christo, Domino nostro, in quo gloriamur, quia primus resurrexit, ut certa esset fides nostra, sciremusque nos cum corpore, ut fecit ipse, redituros aliquando esse in vitam. Nam quod quidam «per vestram gloriam» legebant, potuit fortasse ea res esse in causa, ut putarint iurasse apostolum. Quod vero idem dixerit: «Ego autem Deum testem invoco ad animam meam, quod parcens vobis nondum veni Corinthum»; qui animadvertent, Paulum hic dicere, in ea re spiritu sese agi atque actum, quod cum voluisset ad Corinthios venire, tamen non accesserit, ut veteres eruditissimi interpretes colligunt; nullum



alium sensum nisi hunc elicient: « Ego autem quod Corinthum non venerim, ea fuit causa, ut vobis parcerem; testem invoco Deum et animam meam, quam desiderium tenebat ut ad vos venirem, sed contra spiritus Dei nolebat: anima mea itaque desiderio tenebatur, ad eam testem invoco Deum, ad eam testis accedit Deus, cuius spiritus noluit ut venirem, ea causa ut vobis parcerem ». Saepe in iis, quae scripta sunt divinitus, dicitur anima desiderare, ut « quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus ». Sonant ergo haec prope idem apud apostolum atque illa: « ecce coram Deo quia non mentior » et « Deus scit » et « testis est mihi Deus »; quae affectat apostolus, cum aliqua non ex se, veluti ex se, sed ut ex Christi spiritu solet adseverare. Sic enim haec dicuntur a Paulo tamquam in praesentia Dei, cuius spiritu agebatur; quod ut melius quivis capiat, illud tractemus, quod est in evangelio Iohannis: « Dicit Simoni Petro Iesus: — Simon Iohannis, diligis me plus his? — dicit ei etiam: — Domine, tu scis quia amo te. — Dicit ei iterum: — Simon Iohannis, diligis me; — ait illi etiam: — Domine tu scis quia amo te. — Dixit ei tertio: — Simon Iohannis, amas me? — Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio, « amas me? » et dixit ei: — Domine, tu omnia nosti, tu scis, quia amo te — ». Numquid in his iuravit Petrus? nemo omnium est, qui id dicat. Nihil enim his verbis dici potest modestius, nemo tamen dubitat, firmissime esse adseveratum: nam idem est: « tu scis, tu scis quia amo te », ac si dixisset: — « Testis es tu, quia amo te; — et si dixisset: — Quoniam tu ades, ecce coram Deo, quia non mentior et testem invoco te ad animam meam, quia amo te »; — aut si quid apostolice dici potest significantius et firmiter ad adseverandum. Omnia ergo, quae apud apostolum huiusmodi sunt, non iurandi causa, sed ea ratione dicta sunt, ne cui dubium sit, per imperium Dei esse dicta, cuius spiritu plenus erat, in quo loqueretur Christus. Quae cum ita sint, nemo tam audax esse debet, ut haec tam firmiter adseverantis apostoli verba audeat usurpare, nisi qui per imperium Dei Spiritu sancto actus possit dicere, « experimentum eius quaeritis, qui in me loquitur Christus ».



Venio iam ad argumentum illud, in quo, veluti in arce, adversarii se putant consistere, quod in epistola, quae *ad Hebraeos* scripta est, illa habeantur, « homines enim per maiorem sui iurant, et omnis controversiae eorum finis ad confirmationem est iuramentum ». Facile quivis hosce ex arce deiciat, facillime denique ipsa corruet arx, si capitis epistolae plusculum quis admoveat. Non enim agit in ea epistolae parte vir Dei, quod liceat iurare, sed ut veluti ab exemplo et more vulgatissimo hominum ostendat promissionem, quae Abrahae facta est, firmam esse, quod iuraverit Deus. « Homines enim — inquit — per maiorem sui iurant, et omnis controversiae eorum finis ad confirmationem est iuramentum; in quo ergo abundantius volens Deus ostendere pollicitationes haeredibus, immobilitatem consilii sui interposuit iusiurandum ». Nam quod dictum est, « homines per maiorem sui iurant », ubi adversarii petunt, non erit ab re, si ea verba perpendamus, « homines iurant ». Quid ea verba ponderis habeant ut sciamus, ab apostolo est sumendum, expendente Augustino, cuius haec sunt, « cum enim dicitis: — Ego sum Pauli, ego Apollo, — nonne homines estis? quid eos volebat facere? Audite in Psalmis: <sup>c</sup> Ego dixi Dii estis et filii excelsi omnes; omnes ergo ad hoc vocat nos Deus, ne simus homines <sup>3</sup> ». Ex quibus colligi potest apostolum hic per homines intellexisse gentes et nationes, apud quas vigeret hic iurandi usus per maiorem sui, veluti per primates et regem, et quale illud est, « per Meropis Steropisque caput », aut quid simile, non Christianos, quibus veluti opprobrii loco dicitur « homines estis ». Sciebat vir Dei, et confitentur isti, ne per maiorem sui iurarent, a Christo fuisse praeceptum; non ergo dixisset « homines christiani per maiorem sui iurant » cum ita iurare asserant, vetuisse Christum et per Deum tantum iurandum dicant praecepisse.

Nam quod argumentatur, erroneum est dicere, iuramentum in lege nova simpliciter esse prohibitum cum in lege veteri licuerit; — quid? si quis eorum verbis fretus dixerit erroneum est dicere, divortium libello repudii dato in lege nova simpliciter esse prohibitum, cum in lege veteri licuerit, num ferrent? Quid? si ut pseudoapostoli possent dicere de circumcissione, erroneum

est dicere, circumcisionem in lege nova impliciter esse prohibitam, cum in lege veteri ea fuerit praecepta, num ex eo concedenda est circumcisio? Hoc illud est, principes christiani, quod principio querebar: aemulatione legis sunt aliqui, qui nos conturbant et volunt convertere evangelium Christi.

Ii postremo, ut dicebam, inita societate cum impietate et prudentia, quae Dei inimica est, sic instant contra evangelium: — Ordo iuris frequenter iuramentum exposcit, et quandoque utile est, quandoque necessarium hominum commercia et principum foedera iuramento roborari. — Hem, quid id est? vox haec sonat antichristum, antichristum haec vox sonat, principes. Nam quis non intelligat, quid dicat? non debere servari praeceptum Christi, ut ordo iuris servetur; infirmari debere verbum Domini, ut principum civitatumque foedera roborentur. Quis Christi usque adeo est inimicus, qui ista possit audire et perpeti? Haec sunt illa vulnera, quae iis, in quibus aliquid Christi spiritus est, non possunt tractari sine dolore et gemitu. O consilia dissoluta et perdita hominum! vobis, pontifices, habete regna, vobis census, vobis honores, vobis caetera commoda et ornamenta: nobis sacrum, solemne, perpetuum, inviolatum relinquit evangelium Christi. Quid hac postulatione dici potest aequius? Sinite nos servire Deo nostro. Quid hoc dici potest humanius? Quod eo dicimus, principes, quod indignissimum sit, christianum hominem, si quid norit in causa, ubi verissime omnia quae scit recensuerit, evolverit, enumeraverit, invitum cogi ad iurandum. Quid si dicit Dominus, « nolite iurare omnino »? Antichristus papa denunciat: — Eo ipso, quod iurare nolint, sunt habendi haeretici. — Nolite putare quidquam a me fingi. Verba haec ipsa decreti sunt pontificii: « eo ipso, quod iurare nolint, sunt habendi haeretici ». Hoc edictum publice positum latumque est, servarique iussum multis saeculis a regibus Babyloniae Romanae, de quibus iure per Ieremiam conqueritur Dominus, « verba mea non audierunt et legem meam proiecerunt ». Quoniam vero dedit hoc mihi pater Domini nostri Iesu Christi, ut omnia adversariorum obiecta facile diluerim, illud quoque ostendetur, quod obiciunt, tam esse falsum, quam quod maxime.

— Civile et commune bonum sine iuramento non posse stare. — Contra ego dico, civile et commune bonum cum iuramento stare non posse. Quoniam Christus ipse mihi facit animum, facile probabo, omnia melius agi posse sine iuramento. Nam si, quid sit in iudiciis iuramentum, expendamus, verissime dicemus, iuramentum sicam esse expeditissimam in manibus malorum contra bonos. Eos malos appello, quos neque amor in Deum, neque metus ex praeceptis Dei cohibere potest a malo. Hi, nolite quaerere, quam facile pecunia, promissis, privato commodo a veritate abducantur; modo putent rescissum iri non posse, modo impune facere, nihil est quod testimonium non dividant, non dent mutuum, non donent pro gratia sibi concilianda civium potentiorum contra tenues et miseros homines; mirum praeterea odium, incredibilis invidia, magnae inimicitiae saepissime latent in hoc hominum genere. Quamobrem nihil est melius, quam si hic mucro, quo se ipsos confodiunt ac iugulant, de eorum manibus extorqueatur. « Est enim — ut inquit vir Dei — iaculum, gladius et sagitta acuta, homo, qui loquitur contra proximum suum falsum testimonium ». — Quid? ergo, inquit, testium usus est tollendus? — Non ego id dico. At aliquam rationem excogitandam puto, qua commune bonum fiat auctius et praeceptum Christi firmissime stet, « ne iuretur omnino ». Nam in testimonio dicendo a bonis nihil necesse est petere iuramentum; siquidem si boni fuerint, si non turpitudine mendacii, praecepto Dei vel maxime continebuntur, quod est, « non loquaris contra proximum tuum falsum testimonium ». Hoc mandatum si mali contempserint, neque poenae aeternae propositae metu, neque imperantis Dei maiestate perterrebuntur, num iuramento sese continebunt? Quid si per civitates aliqui seniores deligantur viri spectatae fidei, qui, veluti per annum censores, videant, si quando testimonium est dicendum, an qui testimonium est dicturus, dignus sit, ut ei fides habeatur, melius erit consultum testimoniis dicendis, etiamsi nullum intercesserit iuramentum? Eius loco placeret, ut is senior, qui ecclesiae praest, commoneret eum, qui testimonium est dicturus, ut in memoria habeat propositum esse praeceptum

Dei, « ne falsum testimonium loquatur », standum pro ea re non multos post annos ante tribunal Christi severissimi iudicis; proinde eo testimonio non agi tantum de re proximi, quantum de dicentis testimonium salute. Poenae interim ex civili iure possent constitui, ut, si constiterit aliquem falsum testimonium dixisse, pontificum Romanorum bulla empta, ut turpissime sit, non possit poena sublevari; sed ut is in civitate omnis honoris ac muneris sit expers, et aequae iudex, qui litem suam fecerit, et patronus, qui sit praevaricatus, et is, qui testimonio aliquem circumvenerit, veluti causae adversarii addictus et iudicii periculum et primam sortem et litis aestimationem praestare debeat.

Pro commerciis hominum quod obiciunt, nihil iuramento opus est. Optime enim caveri scripto et viris idoneis advocatis potest. Civitates vero si quid inter se transigunt, si quid metuunt non servatum iri, magnorum hominum fidem accipere et obsides inter se dare possunt. Quo iuramentum ad haec non accedet, eo agetur melius, quod multa excogitabuntur, quibus firmiora sint promissa, et periurio nullus sit locus: siquidem natura ita constitutum est, ut id potissimum quisque curet, in id animum intendat, quod sibi bono est. Quamobrem, qui ab officio discedere vult, facile causam repererit, vel ex iure naturae vel gentium vel fortasse divino, quae causa iuramento aliquo, quod iuravit, se non putet teneri. Non deerunt, sicuti nec defuere unquam, assentatores legulei vel sophistae, qui persuadeant, eaque adducant, ut quod volumus facile credamus, non teneri nos iuramento. De principum foederibus nihil dico. Neque enim est dubitandum, christianos principes optime consulturos, ne minuatur maiestas praeceptorum Christi eorum causa, qui quantum imperio et dignitate, tantum fide caeteris praestare debent: cuius in primis regum est, summam habere rationem cum fidei observatione, qua nihil est sanctius, tum boni nominis causa ad posteritatem, tum quod in excelso atque illustri loco sunt constituti, ut nobis exemplo sint pii, felices, augusti principes, a quibus omnia bona sunt expectanda, idque praecipue, ut in singulis praeceptis Christi restituendis studium, diligentiam, curam adhibeant, dignam animis tantorum regum, ut disciplina

christiana ad priscos redintegretur mores. Eo enim perventum est opera eorum, qui veluti veneno illita quaedam miscuerunt evangelio Christi, ut vox illa non unius cuiusdam videatur interpretis, sed vere piae et deplorantis ecclesiae. « Vetat Christus, ne iuremus omnino et pluribus verbis inculcat; et tamen ob tris drachmas iuramus passim, sic excusantes, non est iurandum scilicet temere. Vetat ille irasci; mox subiicimus temere. Vetat ille compellere quendam contumeliosius; nos etiam colaphos impingimus, denique occidimus, et excusamus non laedendi sed castigandi animo. Vetat ille, ne munus offeramus, ni prius reditum sit in gratiam cum fratre; excusamus, si petat ille ignosci, et si satisfaciat. Vetat ire ad iudices pro credito, sed rem transigi iubet cum adversario; nos ob sex obolos coniiicimus proximum in vincula, et iure agere dicimus, immo definimus peccare eum et negligentiae reum agimus, qui ius suum hac via non persequatur. Vetat, iniuriam iniuria retaliare, etiam iure (nam antiquitus retaliationis poena sine iudicio, ni fallor, non permittebatur); nos ob paucos nummos subductos hominem ad suspendium adigentes excusamus: — ius persequor non vindictam —. Vetat ille resisti malo: nos excusamus, consilii esse non praecepti, licere nihilo secius, vim vi repellere: et, ne singula persequar, iubemur diligere inimicos, bene mereri de male merentibus, bene precari male precantibus; excusamus: « optabo inimicis meis mentem meliorem, signa familiaritatis non teneor exhibere ». Postremo communis excusatio opponitur omnibus, perfectis haec praecipuntur, neque quisquam interim ex tam multis, qui se perfectionis titulo venditant, agnoscit perfectae pietatis professionem cum exigitur officium, ut ista pene frustra dicta sint a Christo ». Haec ille. Quae verissima quidem sunt, quibus bonorum animi maxime commoventur, quod commentationibus istis rescissum fuerit multis iam saeculis evangelium sanctum, immutata maiestas praeceptorum, abductae gentes et nationes a Christo, quem per Esaiam, principes, audire potestis his vocibus lamentantem: « Haec dicit Dominus, redemptor tuus, sanctus Israël, ego Dominus Deus tuus, docens te utilia, gubernans te in via, qua ambulas. Utinam attendisses mandata mea; facta

fuisset sicut flumen pax tua, et iustitia tua sicut gurgites maris, et fuisset quasi arena semen tuum, et stirpes uteri tui sicut lapilli. Utinam attendisses mandata mea! ». Quae verba commovere vos debent, principes, ut in hanc curam incumbatis. Dat nunc nobis Deus et pater Domini nostri Iesu Christi, ut una ac ipsa re facillime mederi huic malo possitis, una ac ipsa re, si hoc loco ad agendum amplissimo declarari curaveritis, divina consilia Christi, ubi consilia appellata sunt, praeferenda esse omnibus hominum sanctionibus, ea denique sacra solemnia perpetua esse praecepta filii Dei, quibus verissime omnes simus adstricti; ut ea declaratione vulgata, atque accepta ab omnibus gentibus et nationibus, quae invocant nomen Domini nostri Iesu Christi, illud sit consecrarium, ut, si qui per donum Dei ea praecepta servaverint, magnas Deo gratias agant, per quem servarint; si non servarint, id ipsum dolentes, ubi vitam aliam instituerint, erecto animo gratias itidem agant, quod per Spiritum sanctum sibi remissae sunt iniquitates, ut ad lucem et splendorem gratiae Christi et gloriam Dei omnes confiteamur infirmitatem nostram et peccata nostra, quae tollens agnus Dei, Christus, dilexit nos et seipsum tradidit pro nobis, ut uno sanguine abluti, uno spiritu iustificati, simus omnes perfecti, non habentes maculam aut rugam. Quod si verum, si pium, si sanctum vobis videtur, principes, erigite pietatem iacentem, tuemini evangelium, proponite vobis ante oculos Christum, imminuta praeceptorum maiestate humilem, contemptum, abiectum. Id si quid vos tangit, declarate iam sententiis vestris, neque imperia neque regna neque liberos neque vitam neque denique rem ullam maiestate Christi vobis esse potiolem.

## RECITA CAPUT OCTAVUM.

Hominum commenta, pontificum decreta, conciliorum sanctiones, quaecumque scriptae lataeque sunt contrariae evangelio Iesu Christi et actis institutisque duodecim apostolorum, canonicis libris scriptis, daemoniorum doctrinam esse, neque potuisse ab hominibus conveniri in nomine Christi et congregari in Spiritu sancto contra Christum, dicente Domino: « Qui non est mecum, contra me est, et qui non congregat mecum, spargit ».

## Declaratio testimonii VIII.

Ecclesiae coetus, synodi, concilia, in quibus vere in nomine Christi conventum est, sanctissima et firmissima sunt et erunt semper, quorum auctoritas ex eo colligitur, quod receperit Dominus, « dico vobis, quod si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis a patre meo, qui est in coelis: ubi enim duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum ». Quae verba diligenter sunt expendenda: habent enim plus ponderis quam vocis. Nam his non bene acceptis, disciplina christiana conciliorum licentia prolapsa est: iisdem optime expensis, a vobis, principes, in quibus habitat spiritus Dei, conciliorum sinceritatem facile potest restitui. Conciliorum firmitudinem non facit locus, in quo convenitur: quod indefinite sit dictum, « ubi duo vel tres congregati fuerint », non magis Niceae quam Laodiceae. Maiorem minoremve numerum eorum, qui convenerint, non video, ut quidam putant, debere tantopere expendi, cum dixerit Dominus, « si duo vel tres congregati fuerint ». Si sexcenti, si



mille, si duo aut tres fuerint, nihil refert; modo quod est ad firmitudinem concilii non desit. Illud etenim est certissimum, concilia multa, in quibus incredibili hominum numero conventum est, ex Deo non fuisse, cuiusmodi conventus ille magnus regis Babylonii in statuæ dedicationem. Talia prope infinita ut omittam, unum illud exempli causa satis erit. « Congregati sunt principes sacerdotum et concilium fecerunt, ut Iesum dolo tenerent; principes autem sacerdotum et omne concilium quærebant falsum testimonium contra Iesum ». Negabitne quispiam hoc ex Deo non fuisse? Hoc concilio non dubitate significata fuisse, veluti certissimo typō et figura, concilia omnia, in quibus id agitatum est, ut aliquid a sapientibus mundi excogitaretur pro firmandis hominum commentis, decretis et traditionibus, quibus rescissum fuerit verbum Dei, conversum evangelium, imminuta maiestas præceptorum Christi. Quæsitum est saepe falsum testimonium contra Iesum, cum congregati homines pro cupiditate explenda, dicam planius, vel avaritiæ causa, pro regno, pro ditione, pro censu, pro immunitatibus firmandis, vel ambitionis gratia, pro primatu, pro præeminentis, pro prærogativis statuendis, falsum testimonium quæserunt contra Christum, mentientes, se fuisse congregatos in nomine Christi, qui nihil minus iussit, quam pro hisce rebus in nomine suo congregari eos, quibus illud dicebat, quos nedum harum rerum sed ne cibi quidem aut vestitus voluit sollicitudine teneri. Nam quod quidam expendunt verba Domini, « dico vobis si duo ex vobis », illud « vobis » non est negligendum, quod iis dicatur quibus dixerat: — « Vos estis sal terræ » — et cum abiret ad patrem, de iis inquit: — « De mundo non sunt, sicuti ego non sum de mundo ». — Quibus verbis excludi videntur omnes imperiti sanctarum scripturarum, et in coeno mundi obvoluti; quæ mirifice congruunt cum verbis Ioëlis prophætæ de concilio sancte peragendo. Ubi enim « sanctificate ecclesiam » dixit, subiunxit « coadunate senes, congregate parvulos et sugentes ubera ». Senes cogendos dixit, quod homines id ætatis sapientiæ plus et pietatis habere videantur; parvulos etiam cogendos et sugentes ubera dixit, quod ea ætas sit purior, minus infecta pravis cupiditatibus, magis ignara



malitiae, superbiae et ambitionis omnino expers. Quamobrem et Dominus Iesus in medio discipulorum parvulum statuens, inquit: « Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvulus iste, non intrabitis in regnum coelorum ». Ex quo sequitur homines imperitos, impuros, infectos cupiditatibus, avaritia et ambitione ardentibus, superbia elatos, minime idoneos esse ad conventus istos peragendos in concilii sancti celebrationem. Quos vero et quales, pater Domini nostri Iesu Christi hic adesse video, non dubito dicere, eo spiritu adductos, ut pugnent pro traditionibus suis, seque caeteris praeferant, unde et praelatorum superbiae nomen sibi statuunt, curentque ut omnia ad unum, veluti ad eorum caput firmamentumque conflati regni cuiusdam deferantur, in quod regnum omnes adspirent, quorum singulorum cupiditati nimis angustus orbis terrarum esse videntur. Dicent tamen se convenisse Christi nomine. Ii tam audaces sunt, tamque arrogantes, ut per apostolos, non simplices puerosque homines minime cupiditatibus infectos et Christi gloriae cupidissimos a Deo electos ante mundi constitutionem, significatos asserant, sed sese tantum mitratos, superbos, elatos, quorum typum, ut dixi, gesserunt mitrati pontifices, scribae et pharisaei Hierosolymani in Satanae coeno et mundi sordibus, avaritia et ambitione, sicut isti hodie, volutati. Sed ego ad rem.

Illud enim, « in nomine meo congregati », omnia completitur; omnia ex eo pendent, hoc est si fideles homines in nomine Christi congregati sint in Spiritu sancto. Huic spiritui spiritus Mammonae ex adverso stat contrarius atque inimicus. Alter purus, simplex est atque integer, Dei gloriam prae se ferens, observator, laudator, illustrator beneficii sanguinis Christi, defensor doctrinae et institutionum apostolorum; alter subdolanus, multiplex, corruptus, gloriam incorruptibilis Dei in hominum aut aliarum rerum corruptibilium gloriam convertens, contemptor, detractor, obscurator evangelii, abrogator institutionum et doctrinae, quam per apostolos suggestit Spiritus sanctus. Habet uterque spiritus sua concilia et praefectos suos, « quos ab operibus — inquit Dominus — cognoscetis » non obscuro signo.

« Tradent enim vos in conciliis, et synagogis suis, et flagellabunt vos ». Qua in re nolite putare defuisse illis involucrium falsae pietatis, qua se Dei causa dicerent congregatos, quod scilicet per concilia in eos saevirent, qui ceremonias divinas confunderent, qui discessionem docerent a lege Dei, qui nova doctrina evangelii replerent civitatem; quibus rebus summi pontificis et praefectorum ecclesiae, quam illi synagogam appellabant, auctoritas et existimatio minueretur. Hoc postremum, hoc postremum erat in causa, quo abducerentur ab ambitione veritatis. Ambitio scilicet, superbia, avaritia, privati commodi ratio excoecabat, non oculorum sensum, sed mentis aciem, ne intelligerent, quae ex scriptis divinitus adducebantur ab apostolis in evangelii defensionem. Ad haec accedebat prudentia humana, quae Dei inimica iis, qui ad rerum temperationem sedebant, persuadebat, antiquos ritus, inveteratam consuetudinem retinendam esse in civitate; nihil melius ad commune bonum, ad otium, ad quietem civium, quam si quae longissimo tempore fuerant recepta, ea servarentur; in eo potius esse invigilandum, ne quid novi reciperetur a populis, unde dissensiones, tumultus, seditio facile possent exoriri inter cives; in eos maxime animadvertendum, qui non ambularent iuxta traditiones seniorum. Quae et quanta haec prudentia, cuius tamen auctor erat (ut nostis) spiritus Mammonae? In hoc enim spiritu congregatus summus pontifex, princeps sacerdotum, et omne concilium, Christum in crucem sustulit: in hoc spiritu a Iudaeis Christus habitus est scandalum, a gentibus stultitia; hunc spiritum secuti, duce humana prudentia, Nerones, Diocletiani, Probi, Maxentii, crudelissime et miserum in modum insecuti sunt ecclesiam Dei: hic spiritus ut longe absit ab hoc concilio, vestrum est providere, principes. In Spiritu sancto congregati non quaerunt gloriam propriam sed Dei, utque eorum dux et moderator spiritus agit, Christi dignitatem, maiestatem, non ambitionem sequuntur, non avaritiae stimulis sollicitantur, verbo Dei, non prudentia humana omnia perpendentes. Ab iis omnino diversi sunt, fuerunt et erunt semper, qui rebus terrenis inhiantes mentiuntur se coactos in nomine Christi, quorum opera, si quaeritis, comperietis conversum

evangelium, sublata instituta apostolorum, ademptam libertatem Christi, iugum legis reductum, vulgatam ac inculcatam gentibus et nationibus doctrinam daemoniorum. An haec in nomine Christi possunt, non dico agi, sed intentari? Qua de re praeclare quidem Cyprianus: « Nec se quidam vana interpretatione decipiant, quod dixerit Dominus, ubicumque fuerint duo aut tres collecti in nomine meo, ego cum illis sum; corruptores evangelii atque interpretes falsi extrema ponunt, et superiora praetereunt, partim memores et partim subdole corrumpentes. Quomodo possunt duo aut tres in nomine Christi colligi, quos constat a Christo et ab eius evangelio separari? propter quos clamat Esaias propheta — Vae vobis, filii desertores, habuistis consilium et non per me, fecistis conventionem et non per spiritum meum — ». Haec ille, quibus facile coarguuntur omnes, qui abutuntur Christi dicto, sicuti fecerunt imperiti, arrogantes, superbi homines, collegae horum, quos adesse tanto numero videtis. Ii, ne vos multis morer, cum in concilio Constantiensi publice pronunciari iussissent et edictum proposuissent magna poena, ne quis institutionem Christi, Christi inquam institutionem, et primitivae ecclesiae morem et consuetudinem sequeretur, verbis pharisaicis illis, « licet Christus post coenam instituerit, licet suis discipulis administraverit; licet primitiva ecclesia », et caetera: haec, inquam, cum pronuntiaissent, tamen primo quoque verbo se in Christi nomine et in spiritu sancto congregatos asserebant. Quamobrem illud potius est videndum, quo spiritu acti sint (quod ex eo potest dignosci, quod statuerint) quam quo nomine dicant sese coactos.

« Falso prophetae — inquit Dominus — vaticinantur in nomine meo; non misi eos et praecepi eis, neque locutus sum ad eos. Visionem mendacem et divinationem fraudulentam et seductionem cordis sui prophetant vobis. Audivi quae dixerunt prophetae, prophetantes in nomine meo mendacium, qui volunt facere, ut obliviscatur populus meus nominis mei, propter somnia eorum, quae narrat unusquisque ad proximum suum. Prophetantes — inquit — mendaciter in nomine meo ». Haec cum ita sint, magnam omnino laudem vobis primum tribuendam

esse puto optimis integerrimisque viris, qui veluti buccinae cuiusdam cantu mirabiliter exsuscitastis gentes et nationes; deinde caeteros omnes vehementissime laudo, qui non mobilem aut inanem sed firmam et stabilem de Christo sententiam habetis, cuius gloriae et maiestatis, quoniam studiosissimi estis, sanctiones, commenta et decreta hominum, quaecumque lata scriptae sunt, examinanda diligentissime censetis, ne cum evangelio pugnent, aliudve doceant. Deinde, quoniam, ut par est, desideratis ut instituta sanctissimorum apostolorum restituantur et ritus in sacramentis, quam maxime fieri potest, puri ac simplices; ex quibus pietatem haurire non superstitionem possint fratres nostri non sat firmi, quibus pro charitate consulendum est: hortor ego, oro atque obsecro vos per eum, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum, ut in ea sententia permaneat, neve cuiusquam vis aut minae a proposito abducant, utque ego superioribus annis Germanos per epistolam commo-  
nui, contendendum putetis a principibus christianis, ut eorum opera delectus habeatur in Galliis, Britannia, Italia, Hispaniis caeterisque christianis provinciis ex iis, qui rerum divinarum bene periti, quam minime suspicionis et pontificiae corruptelae affines sint; ii provideant, ne quid respublica christiana detrimenti capiat. Quod si quid consuetudine usuve, conciliis, disciplinis, imprudentia, dolove malo, receptum fuerit, pugnans cum praeceptis institutisque Christi, quae a Matthaeo, Marco, Luca, Iohanne scripta sunt divinitus; quodve discrepet ab iis *Actis*, quae *Apostolorum* inscribuntur, ita ut exempli, aut admonitionis, aut doctrinae illorum rationem non habeat; quodve alienum sit ab eo, quod Petrus, Paulus, Iacobus, Iudas, Iohannes, celebratissimis epistolis docuerunt: non obscuro istorum edicto, nullum, inane, futile sit. Hoc ut ab imperatore, regibus, principibusque civitatum, prece, admonitu, obtestatione impetretis, si respublica christiana loqui possit, vos vehementer etiam atque etiam rogat.

## RECITA CAPUT NONUM.

Et quoniam pharisaici homines, habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes, qui veluti Iannes et Mambres restiterunt Moysi ita et ipsi resistunt veritati, interpellatione facta, sperant, se posse illudere populo Dei, occurrendum est. Obiiciunt enim: — « Qui scitis hos libros esse canonicos? qui scitis Christum esse filium Dei? — Dicimus ab ecclesia, veluti Samaritanos audivisse de Christo et de his libris. At ubi mysterio Dei inenarrabili ad Christum venimus, revelatum nobis neque per carnem neque per sanguinem, sed per patrem Domini, qui in coelis est, et per Spiritum sanctum, divinum quiddam mirabiliter esse impressum atque inustum in cordibus nostris, ita ut baptizati spiritu sancto et igne, firmitatis et non superbiae pleni, dicamus verbis evangelicis, « quia non iam propter tuam loquelam credimus, ipsi enim scimus quia hic est verus servator mundi filius Dei vivi ». Itaque et spiritus Dei testatur spiritui nostro, quod per Matthaeum, Marcum, Lucam, Iohannem, Paulum, Iacobum, Petrum, Iudam Iacobi fratrem, evangelizatum est et scriptum, quod unum est et idem, esse sanctum evangelium Iesu Christi, et quod hi libri, quos legimus, verissimi sunt: et quod scimus loquimur; et scientia nostra verax est, non ab homine, neque per hominem, sed quia unctio, hoc est, ipse Spiritus sanctus, qui hoc nomine in scripturis appellari consuevit, docet nos. Quamobrem inquit

fidelis Iohannes: « Nec necesse habetis, ut aliquis vos doceat, sed sicut unctio eius docet vos de omnibus, et verum est et non est mendacium ».

Declaratio Testimonii IX.

Magna est audacia, mira improbitas, incredibilis impietas adversariorum, qui obnixe pedibus et manibus maiestatem verbi Dei imminuere nituntur. Excoecavit illos Deus, ut videamus quo spiritu agantur. Rogavit me superioribus annis praefectus quidam ecclesiae, qui scirem, Christum esse filium Dei; cumque respondissem, quoniam id rogaret, quod magis pro comperto haberem, quam omnia, quae oculis cernerem, quod verissime scirem, id me firmissime credere, fidei auctorem non esse vulgarem, et propterea neque carnem, neque sanguinem, sed patrem Domini nostri Iesu Christi, spiritumque Dei testari spiritui meo, id esse verissimum, neque me Turcae, christiani nominis hosti, si quando usu veniat, aliter esse responsurum; excanduit iracundia homo, quod ex libello, qui circumferebatur, non respondissem, scire id me non ob aliud, quam quod ita teneret Romana ecclesia, sese de Christo id non ob aliud credere, nisi quia sic ecclesia Romana statuisset credendum; si ea ecclesia aliter decreverit, aliter se crediturum. Eius sententiam veluti infirmam atque instabilem cum minime probarem, neque a pia ecclesia aliud statui posse dicerem, quam quod ab apostolis et quatuor illis fuerit evangelizatum, quod unum est et idem, indignissime quidem ille tulit. Videtis quid ferant turbinis istae nebulae exagitatae, sophistae diaboli, contentionis cupidi homines, non ut ecclesiae sanctae auctoritatem statuam, sed ut abominationem sedentem in loco sancto firment, et veritatem in profundo abstrudant, scriptisque divinitus cogi non possint, quorum maiestatem ut infringant atque imminuant, ut illis, inquam, cogi non possint, sic primo quoque verbo rogant et rogandum docent: — Qui scis hos libros esse canonicos? — Deinde addunt: — Christus non scripsit aliquem librum, Christus non praecepit, ut discipuli describerent, sed ut praedicarent: « Ite — inquit — praedicate

evangelium omni creaturae». — Quae est ista perversitas? qui iste animi furis agitatus sensus? quae diabolica fraus? Hic pontifices Romani non clamant, hos scriptores non devovent, non execrantur, non damnant, horum scripta non prohibent legi, immo vero honorant et colunt. Si quis vel concionator, vel scriptor Christi gratiam et pretium redemptionis nostrae honorifica et copiosa oratione longius prosecutus est per hosce annos, meminisse, principes, debetis, quae turbae, qui clamor, quae vociferatio. Tonare, fulgurare, permiscere omnia visi sunt pontifices Romani.

Utinam, principes, utinam in hanc cogitationem incumbatis, ut vestigiis adsequamini causam, cur quibusdam tantopere commoveantur, pontifices, episcopi, presbyteri, cucullati, quaedam negligenter admodum ferant. Utinam intelligatis, qui et quantopere sit cavendum ab iis, qui in Spiritu sancto emendo et vendendo exercitati in hoc curam, cogitationem, mentem fixerunt, ne vectigalia, quaestuosis traditionibus imminutis, sibi fiant deteriora. Nam quid hoc est? « Qui scis hos libros esse canonicos? Christus non scripsit aliquem librum, Christus non praecepit ut scriberent ». Quorsum haec spectat oratio? Quid hosce aliud velle putatis, obsecro vos, principes, in quibus habitat spiritus Dei, nisi suadere, ne tanti faciamus evangelium, et ea quae sunt nobis scripta divinitus? Quamobrem subdole agunt ex dicto Ieremiae: « Ecce dies veniunt — dicit Dominus — et feriam domui Israël et domui Iuda foedus novum, non secundum pactum, quod pepigi patribus vestris; sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israël: post dies illos — dicit Dominus — dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam, et ero ipsis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum ». Quid tum? num ex eo, quod praedictum erat scribendam esse legem Dei in cordibus fidelium gentium et nationum, colligi potest non scribi oportuisse evangelium a Matthaeo, Marco, Luca et Iohanne? An, quia scribendum in cordibus dixit, sequitur evangelii veritatem non contineri scriptis illis divinitus, sed pectore tantum quorundam, veluti sacrario, in quorum corde non Dei, sed bene carnis lex scripta est atque

impressa, non atramento sed coeno Satanae impurissimo; « a quorum fallaciis et haeresibus ut caveremus, — ut Theophilactus inquit, — voluit nobis Deus haec exstare monimenta consecrata memoriae hominum sempiternae? Quemadmodum — inquit — magni illi atque divini viri, qui ante datam legem Moysi vixerunt, non discebant ex litteris et libris, sed munda praedita mente spiritus illustratione illuminabuntur, atque hoc modo Deo ipsis ore ad os colloquente Dei voluntatem cognoscebant. Tales fuere Noë, Abraham, Iob, Moyses. At postquam vitiis contaminarunt se homines, et indigni facti sunt, ne a Spiritu sancto illustrarentur et docerentur, concessit tandem misericors Deus scripturas, ut per illas divinae voluntatis essent memores. Ita et Christus apostolos coram in sua persona locutus est, et Spiritus sancti gratiam misit, ut eos instrueret ». Verum, quoniam haereses pullulaturae erant, quae mores nostros depascerentur, operae pretium visum est, ut scriberentur et evangelia, quo edocti veritatem ex illis non ab haereseon mendaciis deciperemur moresque nostri non prorsus dissolverentur. Haec ille de evangelio; quod quia Christus non scripsit, quid tum? si per eos tamen scriptum constat, quibus Christus ex spiritu suo suggestit, ut promiserat. « Paracletus autem, Spiritus sanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia quaecumque dixi vobis ». Haec promissio si ad apostolos et discipulos Domini verissime attinet, quibus id in primis et indubitanter est dictum, quid oblatrant blasphemi? Cur non intelligunt, suggerente Spiritu sancto, post eius spiritus effusionem, ex voluntate Christi esse plenum atque perfectum magisterium admirabile Spiritus sancti, scriptum scilicet evangelium filii Dei, ut impleteretur quod praedictum fuerat per Ezechielem prophetam in visione quatuor animalium, « in quorum rotis — inquit — erat spiritus vitae, et sonus alarum eorum velut sonitus sublimis Dei »?

Quid hoc est? an tale quid scriptum legimus tanto testimonio de iis quos impudenter quidam conferunt cum magnis apostolis et scriptoribus evangelii? Quid, inquam, hoc est? « in quorum rotis erat spiritus vitae, et sonus alarum eorum velut sonitus



sublimis Dei ». Ex eo ipso, quod Dominus dixerit: « Euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae »; ex eo ipso, inquam, apte colligi potest, Spiritu sancto afflatos apostolos et discipulos Domini intellexisse, quod non intelligit animalis homo, per haec scilicet verba iussum fuisse a Domino, ut scriberetur evangelium: quod ex iis, quae consecuta sunt, facile intelligere possumus. Quomodo enim ab apostolis itum est in universum mundum? quomodo praedicatum omni creaturae? cum id pro multis creaturis etiam diceretur, quae post apostolos crediturae fuerant per verbum eorum, quomodo id praestitissent omni creaturae, nisi (ut ita dixerim) successione praedicationis evangelicae? Et eorum scriptorum lectione aliquando hoc erit consummatum, ut illud sit effectum, « in omnem terram exivit sonus eorum, et in finem orbis terrae verba eorum », quodque recepit Dominus magnum ministerium, « et eritis mihi testes in Hierusalem et in omni Iudaea et Samaria usque ad ultimum terrae ». Testimonio sunt apostoli Domino, ubi ubi, modo hic, modo illic, hisce vel illis temporibus, recitantur scripta apostolorum et discipulorum Domini ex apostolis accepta. Ea oratione oravit Dominus pro iis, qui credituri erant per verba eorum. Ubi vero, obdormientibus apostolis, verbum eorum, nisi quia scriptura verba eorum? Quod vero legem suam Deus promiserit scripturum se in cordibus eorum, id porro significat, futuram fuisse gentem christianam Dei observantissimam, quae ita eius amore teneretur, ut nunquam memoria esset depositura legem Dei viventis. Atque hoc est « scribi legem in cordibus hominum », non quod, scripto evangelio filii Dei, et suggesto per Spiritum sanctum, eo omisso et contempto standum esset traditionibus et assertionibus pontificis Romani et asseclarum, quorum tanta esset auctoritas, ut prae ipsis parvi facienda essent scripta divinitus. Nam quod obiicit homo corruptissimus et impudentissimus quidam, ut statuatur in templo Dei suum idolum tamquam Deum, potest facile retorqueri. « Frustra Deus — inquit — misit filium suum, frustra Spiritum sanctum, frustra apostolos, martyres, doctores, confessores, si per Lutherum solum lux veritatis aperienda erat. Cur Deus non unum misit Lutherum

pro omnibus? » Ego quidem Lutherum non novi. At dedit mihi pater Domini nostri Iesu Christi, ut animi tui sensum bene norim invidia excoecati, ambitione et avaritia flagrantis; iis abductus quoniam contra evangelium Christi et scripta divinitus ita efferris, ut quidquid velis, dicas, nihil mirari debes, si ea audieris, quae nolis. Si scriptum evangelium a Matthaeo, Marco, Luca et Iohanne, si scripta ab apostolis parvi facienda sunt prae auctoritate pontificis Romani, et vere tantum evangelium est tantumque firmum quod scriptum est in corde, quodque exit ab ore eius; frustra ergo Deus misit filium suum, frustra Spiritum sanctum, frustra apostolos, frustra martyres, doctores, confessores; addo frustra prophetarum monimenta tam diu nobis adservantur, frustra evangelium scriptum est, frustra epistolae nobis relictæ sunt, si ab hoc oraculo omnia sunt petenda; omnia ita in uno posita sunt et locata, per quem si tantum scripturae authenticae sunt, Christus iam minus authenticis scripturis usus est; quod ante pontifices Romanos fuerit, et fundamentum, quod Paulus dixit ita esse positum, ut aliud nemo possit ponere, sine auctoritate pontificis Romani non sit bene positum. Quae quoniam tam falsa sunt quam quae maxime, illud profecto est verissimum, quae scripta sunt divinitus, ea authentica semper fuisse, non ab homine neque per hominem, sed quod eorum auctor fuerit spiritus Dei, sine quo nihil fuit, est, erit sanctum firmumque, quod isti vocant authenticum, in quavis ecclesia. Illud est consecrarium, tam Lutherum quam pontificem Romanum, si Christiani esse velint, teneri ut fateantur, scripta illa excellere supraque se esse, ita ut omnia eorum commenta prius necesse sit evanescere, quam horum verbum vel unum praeteriri. Quam sententiam non modo Caesares et reges probaverunt, sed pontifices ipsi aliquando, qui ad evangelii lectionem recti et nudo capite stare consueverunt, ut ostendant, non humana sed divina ea esse, quae recitentur. Quamobrem perverse faciunt adulatores, cupidi, corruptique homines quidam, qui ut aucupentur pontificum gratiam, quibus nominibus non appellant? quae non licere dicunt? quas lites non intendunt? si cum evangelio et scriptis divinitus docent concertandum de auctoritate, ecclesiae nomine,

quam nemo pius est, qui non revereatur et colat summa observatione, ecclesiam scilicet sanctam, cuius caput est Christus, dux Spiritus sanctus, membra prophetae, apostoli, discipuli Domini, martyres, fidelesque omnes Christi Iesu. Haec ecclesia cum evangelio et scriptis illis divinitus non potest contendere, nisi secum ipsa contendat, quod eius caput sit Christus, dux Spiritus sanctus, quo auctore scripta illa sunt a prophetis, ab apostolis et discipulis Domini, qui sunt lectissima membra ipsiusmet ecclesiae. Horum scriptorum quanto est illustrior laus et maior auctoritas, tanto est et ecclesia ipsa, quae veluti totum nihil aliud est quam suae partes, ex quibus tota ipsa est atque consistit, quibus remotis nihil omnino ecclesia est, quae non ob aliud a Spiritu sancto regi dicitur, nisi quod ii filii Dei omnes a Spiritu sancto reguntur: iis, cum unum sit caput Christus, unum quoddam corpus efficitur, quod uno spiritu informatum, nihil mirum videri debet, si ubi a matre ecclesia audiverit de Christo, ita adficitur, ut in animos ea a patre Domini prius opinio insita videatur, non a carne et sanguine, quando ea ita haeret in cordibus fidelium, ut, si coelum ruat omne, omnia misceantur, titubare pro tempore fortasse possit, evelli non possit. Ita etiam et suggesta illa a paracleto per matrem ecclesiam nobis adservata cum legimus, incredibili dulcedine tangimur, complenturque non aures solum sed animi nostri, quod is spiritus, qui per Christum est effusus, veluti oleum laetitiae, ut in *Psalms* est, atque unctio exhilaret suos, mirificus consolator bonorum, bonus dator gaudii, lator meri evangelii, quod mundus non potest accipere. Hoc qui accipiunt et spiritum una accipiunt, quo liquidissime cognoscunt, quod per Matthaeum, Marcum, Lucam, Iohannem, Paulum, Iacobum, Petrum, Iudam Iacobis fratrem, evangelizatum est, et scriptum unum et idem esse sanctum evangelium Iesu Christi. Horum sermo verus est, et quod est, loquuntur, et veritas est in eis, qua pleni qui spiritu Dei aguntur fideles, non necesse habent, ut aliquis eos doceat. Unctio enim docet eos, quos nisi doceret neque unde id sciret, haberet ecclesia. Quod ut magis perspicuum fiat. —

## RECITA CAPUT DECIMUM.

Ecclesia Dei sancta semper nixa est verbo Dei. Ante adventum Domini sustentata est verbo Dei per prophetas; Christi tempore testimonio scripturarum defensa est verbo Dei per ipsum etiam Christum; post ascensionem Domini in coelum apostoli, paraclete accepto, defenderunt, administrarunt, probaverunt omnia verbo Dei; lectissimi viri, quos Deus praedestinarat ante mundi constitutionem, suggerente spiritu sancto, evangelizarunt verbum Dei unum et idem ea conditione, ut in perpetuum, qui aliud evangelizaret anathema sit. Qui igitur scriptis canonicis coërceri nolunt, et ut auctoritate superiores sint verbo Dei contendunt, neque putant audiendum, si contra eorum traditiones scripta divinitus adducantur; manifeste reprobi sunt, et eorum sententiae iudicioque standum non est, quod ad ecclesiam Dei nihil attineant, dicente Domino: « Qui ex Deo est, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis ».

## Declaratio testimonii X.

Cum frequentissime, etiam cum minime opus est, distinctionibus affluere soleant homines contentiosi pontificiarum partium; quid dicemus esse in causa, quod in re maxime necessaria ad explicationem quaestionis de ecclesia tergiversantur et tantopere a distinguendo refugiant? Si ecclesiae nomen multiplex est, quomodo in magnas difficultates quis non incurrat, si de ea quaestio sit, nisi explicetur? Ecclesia, ut omnes norunt,

graeca vox est, quae apud nos coetum, concionem, congregationemque significat. Ecclesia templum aliquando minus proprie dicta est, locus scilicet, quo convenitur, ut sit continens pro contento, quam significationem nunc omittimus, nihil enim ad rem. Ecclesia item dicta domestica familia, ut « ecclesiae, quae in domo tua est, gratia et pax », et in singulis provinciis ecclesiae quoque multae sunt appellatae. « Salutant vos — inquit — omnes ecclesiae Asiae ». Huiusmodi erant particulares dictae ecclesiae, ut Laodicaea, Corinthia, Thessalonicensis. Coetus etiam quidam seniorum, senatus quidam ex civibus bonis non ut nunc ex sacrificulis imperitis, qui per civitates delecti constuebantur ad aequi bonique conservationem, ad institutionem praedicationis evangelicae, ad veros, non inanes diaconatus, ut nunc sit, gerendos, presbyterorum, id est, seniorum dicebatur ecclesia, ad quam deferebatur si quis fraterna admonitione testeque adhibito aliam non instituisset vitam. Aliae provinciales ecclesiae sunt, ut Africana, Graeca, Latina. Adhuc ex omnibus provinciis, quae invocant nomen Domini nostri Iesu Christi, christiana ecclesia dicitur, in qua quoniam multae gentes et nationes vulgoque mali et boni sunt, comparata est a Domino sagenae missae in mare ex omni genere piscium congreganti. At quoniam ad conventus peragendos, non omnes, qui ad hanc ecclesiam tam amplam copiosamque attinent, convenire possunt; institutum est, ut aliqua (repraesentativam quam vocant) ecclesia sit, in qua boni et mali esse possunt. Hisce distinctionibus de ecclesia facile solvuntur multa, quae ingeniis sunt proposita, propterea porro quod non omnia dicta omnibus ecclesiis convenient. At hisce ipsis distinctionibus assertionibusque ecclesia ea non comprehenditur, de qua celebre illud: « una est columba mea, perfecta una. Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te ». Nam in illis ecclesiis, in quibus mali cum bonis mixti sunt, maculam esse oportet insignem, qua mali denique peribunt. Quae est igitur ecclesia, in qua macula non est? Ea certe est, quae obediens Christo Spiritu sancto agitur, sine macula et ruga, de qua Paulus apostolus. Et sicut ecclesia subiecta est Christo, ita mulieres sint viris suis in omnibus, pro qua

Christus seipsum tradidit, ut illam sanctificaret mundans eam lavacro aquae, in verbo vitae, ut exhiberet sibi ipsam gloriosam ecclesiam « non habentem maculam aut rugam aut aliquid eiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata ». Haec cum illis pulcherrime conveniunt, « et macula non est in te », quod scilicet tota ex iis sit, neque aliud omnino ipsa sit, quam abluti, sanctificati, iustificati per aspersionem sanguinis Iesu Christi et in spiritu Dei, praeordinati ad vitam aeternam, pii omnes, sancti omnes, omnes filii Dei, de quibus propheta, « ego dixi, Dii estis et filii excelsi omnes, ex quibus Deus dedit huic » sanctae ecclesiae « quosdam prophetas, quosdam apostolos, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores, ad consummationem sanctorum fidelium in opus ministerii in aedificationem corporis Christi », hoc est, ut conflatur haec ecclesia sancta Dei, quam ipse Deus praedestinavit ante mundi constitutionem. Unde in *Psalmis*, « memor esto ecclesiae tuae, quam possedisti ab initio »: cuius quoniam caput, petra et fundamentum, Christus, unus est salus omnibus credentibus in eum, illud est certissimum, quod asserit Augustinus, « omnes, qui ante Domini adventum fuerunt Spiritu sancto informati, fide haeserunt in Christo venturo, speque pleni mentem animumque fixerunt in servatore, in quo et nos, qui iam venerit, fide haeremus, totoque animo amplectimur salutem nostram Christum crucifixum. Tempora — inquit ille — variata sunt, non fides ». De ea re Paulus: « Nolo vos ignorare, fratres, quoniam patres nostri omnes in Moyse baptizati sunt in nube et in mari, et omnes escam spiritualem manducaverunt, et omnes eundem potum spiritualem biberunt, bibebant autem de consequenti eos petra, petra autem erat Christus ».

Quae cum verissima sint ex iis omnibus, qui vel ante adventum Domini fuerunt, vel per id tempus, quo is egit apud mortales, vel quo nos sumus, quove alii erunt aliquando vere credentes in unigenitum Dei ad novissimum usque diem, quo dabit in regnum Deo patri, ex iis, inquam, omnibus communionem capitis et spiritus quoddam veluti corpus conficitur, quae sancta ecclesia, sponsa Christi, civitas Dei dicta est, et coelestis Hierusalem, non ab haereticis, ut impudentissime obtrectant

corruptissimi homines quidam, ut veritatem in profundo abstrudant, sed a prophetis ubique, ab apostolis, et sanctis discipulis Domini passim. De qua magnus ille Iohannes: « Et venit ad me unus de septem angelis dicens: — Veni, et ostendam tibi sponsam, uxorem agni, — et sustulit me spiritu in montem magnum et altum, et ostendit mihi civitatem sanctam Hierusalem, descendentem de coelo, habentem claritatem Dei, cuius cives dixerat esse signatos magno numero ex omnibus gentibus et tribubus et populis et linguis ». Hanc civitatem, quae sanctam et universam ecclesiam Dei significat, sic exponit Augustinus: « Hierusalem verbum est hebraeum, et interpretatur visio pacis, cuius cives sunt omnes sanctificati homines, qui fuerunt, qui sunt, qui futuri sunt. In hac neque macula est, neque ruga, ecclesia Spiritu sancto plena; adde omnes illas laudationes, Dei vivi columna, quae errare non potest ullo modo, quo inferi portae in eam praevalent ». Hanc unam sibi statuit Christus sponsam, quae una est ex lectissimis partibus omnium illarum ecclesiarum. Non est bigamus Christus, hac cum una est usque ad consummationem saeculi, nimirum cum iis, ex quibus tota illa constituitur, ablutis, sanctificatis, iustificatis, praedestinatis ante mundi constitutionem, praeordinatis ad vitam aeternam, quibus Christus, quantum se aperit, quantum Spiritus sanctus communicat, quantum pater Domini nostri, Iesu Christi, revelat, tantum ab his ipsis novit ecclesia illa, quae sagenae comparata est. Iis enim dilectis, vocatis, sanctis, qui spiritu Dei aguntur et filii Dei sunt, aspergit Deus nunc maiori nunc minori numero, ut sibi placitum est, ecclesias illas, quae continent malos et bonos. Boni, quia, ut docet Dominus, semper odio fuerunt, sunt et erunt mundo, nihil mirandum est, si pauci sint, et aliquando habeantur in despectu, et eorum vita aestimetur insania. Quin, ut apte quivis colligere potest, saepissime in exiguum atque angustum locum adducta est ecclesia Dei, quae, inquit Augustinus, « semper pauciori numero contenta fuit », ita ut prophetarum tempore vix quidam veluti pro semine a Deo servati sint, clamante propheta, « nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodomam fuissetis et quasi Gomorrae similes essemus ».



Haec sancta ecclesia saepe ex admirabili providentia Dei aucta, saepissime in angustum adducta locum, exacta est atque exclusa, substituente se in eius locum pharisaica et mundana; ut (quod exempli causa dicimus) Christi tempore pharisei summi-que pontifices et sacerdotes, arrogato sibi nomine ecclesiae, Christum in crucem sustulerunt, Dei ecclesia depressa, reproba-verunt lapidem, qui erat constituendus in caput anguli, eiecerunt apostolos, occiderunt sanctos Dei. Quamobrem nihil mirum vi-deri debet, si ab iis, qui in coeno mundi obvoluti sunt, saepissime statuuntur pro ecclesiarum praefectis ii, qui non plus ad petram Christi attinent quam Iudas, « in cuius typo, inquit Augustinus, significati sunt mali episcopi ». Favet mundus suis, nobilitatem generis, prudentiam hominum, peritiam rerum humanarum et huiusmodi ampullas amplectitur: quamobrem saepe contigit, ut ab iis gubernata fuerit ecclesia, in quibus non modo non sit spiritus Dei, sed bene spiritus Satanae, solitus transfigurare se in angelum lucis, saeviens in ecclesiam Christi summo consensu gentium et populorum, qui pietatis fuco et ecclesiae titulo per haereses aliquas mundanae prudentiae acceptissimas et proba-biles verbo Dei non probatas ab hac ecclesia sancta abducuntur. Unde Cyprianus: « Quid vero astutius, quam ut Christi adventu detectus ac prostratus inimicus, videns idola derelicta, et per nimium credentium populum sedes suas ac templa deserta, excogitaverit novam fraudem, ut sub ipso christiani nominis titulo fallat incautos? Haereses invenit et schismata, quibus sub-verteret fidem, veritatem corrumperet, scinderet unitatem. Rapit de ipsa ecclesia homines, et dum sibi appropinquasse iam lumini atque evasisse saeculi noctem videntur, alias nescientibus tenebras rursus infundit, ut cum evangelio Christi et cum observa-tione eius et lege non stantes, christianos se vocent, et ambu-lantes in tenebris habere se lumen existiment, blandiente adver-sario atque fallente, qui secundum apostoli vocem transfigurat se velut angelum lucis, et ministros subornat suos velut ministros iustitiae, asserentes noctem pro die, interitum pro salute, despe-rationem sub obtentu spei, perfidiam sub praetextu fidei, anti-christum sub vocabulo Christi ». Haec ille: ex quibus patet,



nihil esse potius ecclesiis, in quibus boni et mali permixti sunt, quam ut traditiones et instituta, quibus longo temporis spatio nonnihil vitii potuit accedere, expendant atque examinent omnia verbo Dei, quod ex lectissimis membris illius ecclesiae per Spiritum sanctum non uni aut alteri ecclesiae sed universis relictum est, ut pura atque incorrupta doctrina irrigari possint corda fidelium gentium et nationum, manante ex fonte purissimo verbi Dei.

Nam quod quaedam ex iis ecclesiis inani cogitatione tumeant atque inflentur, simillime sunt synagogis Iudaeorum iactantium, « semen Abrahae sumus », quae veluti ex hoc sibi persuaderent, non posse errare: at Deus illis odiosis et superbis reiectis suscitavit ex gentibus veros filios Abrahae: quomobrem inanem illorum fiduciam reprehendit Iohannes Baptista inquam: « Et ne velitis dicere intra vos, patrem habemus Abraham ». Huiusmodi ostentationes sunt eorum, qui dicunt: « errare non possumus, quia promissum est, ecce vobiscum sum usque ad consummationem saeculi », quasi id sibi tantum et non apostolis potius et vere piis sit dictum, quibus cum semper est spiritus Christi. Videant prius, qui et quales ipsi sint; lustrent animo, an ab ecclesia illa sancta discesserint, an aliud evangelium receperint, vitalique mortiferum miscuerint, seductione Satanae, an oppugnent an velarint beneficium sanguinis Christi, an contumeliis insecuti fuerint spiritum gratiae. Putabat se populus Iudaicus populum Dei; appellatus ita in scripturis sanctis persaepe fuerat, et tamen non erat iam populus Dei. Vide, ne id tibi contingat, quae superbe admodum efferris, quae in sanctos Dei saevis, ecclesiae nomine. Id ut scias tibi potuisse contingere, si quid te commonere potest apostolus Paulus, audi commonentem apostolum, « vobis ego dico gentibus, quamdiu ego sum gentium apostolus, ministerium meum honorificabo », ubi dixisset gentes esse velut oleastrum insertum in ramis populi Dei, Iudaici scilicet, subdit: « Noli altum sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat. Vide ergo bonitatem et severitatem Dei, in eos quidem, qui ceciderunt, severitatem, in te autem

bonitatem Dei, si permanseris in bonitate, alioqui et tu excideris ». Quid ergo tumes? non sunt haec ex haeticis, sed ex apostolo sanctissimo Paulo. Lege haec, perpende etiam atque etiam, fatere nihil esse tutius, quam si verbo Dei, quo se prophetae, quo se apostoli, quo se discipuli Domini, quo se martyres, robora illa ecclesiae Dei, sustentarunt, defenderunt, confirmarunt, itidem omnes ecclesiae, omnia expendant atque examinent, et ad Deum conversae cum coelesti Hierusalem, cui oportet omnes ecclesias, quae sanctae esse velint, esse coniunctissimas, ad quam veluti communionem sanctorum se referunt omnes credentes, infirmi etiam, si quid in dubio est, ut pie sancteque credant; cum hac, inquam, coelesti Hierusalem, sancta ipsa catholica et apostolica ecclesia, quae sine ruga et sine macula est, quae habet claritatem Dei, omnes una sapienter concinant, « lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis ».

## RECITA CAPUT UNDECIMUM.

Scripta peritorum hominum, quantalibet ii sanctitate doctrinaque sint, nullo modo cum scripturarum canonicarum excellentia comparari posse monet Augustinus. Huic sententiae consona est illa Cyrilli: — optimum fuerit, Hermia, non curare aliorum proccitatem, qui probatam mentem nobis auferunt, sed magis fidei canonem rectum et non perversum, hoc est, sermones ab apostolis factos, nec aliis quam illis applaudere nos decet, ac dicere: « Non vos estis, qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis ». —

## Declaratio testimonii XI.

Qui negant contentionis cupidissimos esse pontificios scriptores, quid hic dicent? quo spectant illa iurgia et magnae contentiones misere excogitatae ad aequae benedicta maledicta Germanorum oppugnanda? qui in re perspicua difficultatem adferunt, quid facient in obscura? pudet me diu de hac re apud tales viros dicere, apud quos satis esse arbitror, si dicto Cyrilli et aliorum omissis, Augustini sententiam recitem. Ad quem autem scribit Augustinus? nempe ad Hieronymum excellenti doctrina et acri iudicio summoque ingenio virum, descendentem prope in arenam et campum. Num in se adductam sententiam reiecit Hieronymus? minime. Quid igitur rabulae contendant, non sat scio. Quid vero ait Augustinus? « Ego fateor charitati tuae, solis eis scripturarum libris, qui iam canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse firmiter credam; alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinaque praepolleant,

non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi vel per auctores illos canonicos, vel probabili ratione, quod a vero non abhorreant, persuadere potuerunt. Nec te, mi frater, sentire aliquid aliter existimo, prorsus, inquam, non te arbitror sic legi tuos libros velle, tamquam prophetarum aut apostolorum, de quorum scriptis, quod omni errore careant, dubitare nefarium est ». Et alibi: « in opusculis posteriorum, quae libris innumerabilibus continentur, sed nullo modo illi sacratissimae canonicarum scripturarum excellentiae coaequantur, etiam in quibuscumque eorum invenitur eadem veritas, longe tamen est impar eorum auctoritas ». Quae si verissima sunt, cur magnis commentationibus oppugnantur Germani, qui idem quod Augustinus, quod Cyrillus dixerunt? Qui tot clamoribus opus est? In iis ego ne augustos et pios principes multis morer.

## RECITA CAPUT DUODECIMUM.

Interpretes, quos doctores vocant, oratorum, poëtarum, philosophorum perstudiosi fuerunt, nonnunquam abierunt in commenta cogitationesque eorum. Non protinus ergo asserenda, quaecumque ab illis dicta sunt, sed expendenda verbo Dei; scriptum est enim: «et interpretes tui praevaricati sunt in me, et venerunt structores tui destruentes te, et dissipantes a te exhibunt».

## Declaratio testimonii XII.

Testantur ii ipsi, qui magna volumina commentis interpretationibusque impleverunt, se oratorum, poëtarum, et philosophorum fuisse perstudiosos. Alii enim rethorice publice docuerunt, alii se ciceronianos esse putarunt, quidam in Aristotele interpretando aetatem consumpserunt, alii platonicos prope christianos esse rati sunt. Poëtis vero quam sese oblectarint, quivis intelliget, qui eorum libros videat saepe versibus adpersos. Quamobrem nihil est mirandum, si ex iucundissima eorum lectione, quasi ex consuetudine haeserunt aliqua animis, quae dum legerent in scripturis canonicis, quasi id concinentibus, offerebantur. Solet enim id fieri, ut quod vel opinione, vel persuasione tamquam probabile in animum induximus, facile credamus, videaturque quodcumque legimus idem persuadere ac probare. Etenim ad motus quosdam et impressiones animorum faciendas permagni refert, quibus auctoribus familiariter utaris, quos quotidie libros habeas in manibus. Aristotelis studiosus facile arbitrii libertatem credet, quod a peripatetico didicerit, si ex necessitate omnia fierent, frustra consultatio, frustra esset prudentia, frustra quae in homine ratio dicitur. Qui stoico operam dedit, in illud

fertur proclivius. Non sunt hominis viae eius, quod fato agi omnia acceperit aliquando. Putabit alter hoc, alter illud posse stare cum scriptis divinitus. Quamobrem, cum variae sectae sint philosophorum, oratorum et poëtarum, quibus non vulgares adolescentes se a pueris dediderunt, et firmiore aetate his etiam delectati theologiam professi sunt; et dictionis genus facile recognoscimus, et aliqua etiam, quae philosophum potius, aut oratorem, nonnunquam poëtam, redoleant, quam apostolum purum, gravem et firmissime haerentem verbo Dei: optima ergo Cyrilli et Augustini sententia est, quam superiori capite recitavimus, de scripturis canonicis, in quibus neque retractationes, neque lapsus, neque errata legimus, ut in iis, qui interpretationibus et commentariis magnopere excellere videntur.— Quid ergo, inquiet aliquis, eorum dicta ac sententias adducis in medium, ac veluti patronos atque advocatos adesse iubes sententiarum tuarum? — Dicam, et in quod auctores ipsi non adspirarunt, nunquam ego id deferam doctissimis et prudentissimis viris. Quid ergo est? incidimus in tempora perdita ac misera, addite etiam, si velitis, suspiciosa. Cum aliquid dicimus, dubitant homines, ne nova, ne efficta sint a nobis aut ab iis accepta, qui in invidiam rapti sunt, veluti perturbata religione. Huic suspicioni medemur, si ab iis, qui laudati, qui idonei auctores diutissime fuerunt habiti, ostendamus aliquando fuisse probata. Doctores itaque isti atque interpretes in opinionem adducere possunt, fidem facere plene non possunt. Ut ergo nemo ea, quae proponimus et dicimus, a nobis primum sine pietate excogitata et dicta putet, et e numero eorum esse, quae in aliquorum, qui probi sunt et periti habiti, cogitationem minime unquam ceciderint; adducimus dicta et sententias veterum interpretum, quos non propterea conferimus, aut conferendos putamus cum scriptoribus illis primis, non humano sed divino testimonio probatis: quin fatemur hosce doctores lapsos interdum. Atque utinam eorum sinistra patientia aliave causa non itum sit in abusus! Si enim tum primum restitissent, cum tam multi tamque firmi non erant abusus, difficillimo hoc tempore non laboraremus. At ex iis quidam peritiores augustioresque, de gratia fundamentis praeclare iactis, caetera

contempserunt, quasi surgente ingenti hoc aedificio parietinae superstitionum et perversarum opinionum stare non possent, collapsura per se mirum in modum; quidam imprudentiores demulserunt plebeculas, variis ritibus institutis, prope ethnicis, et rithmis compositis, commentisque poëticis quibusdam receptis: alii suffarcinatione umbrarum veluti legalium, quibus augeretur studium pietatis, cum minus nihil sit factum, sed bene invecus incredibilis cumulus superstitionum, offusaque nox luci evangelicae, imminutaque magna ex parte fiducia illa in Deum patrem, in Christum Iesum, in spiritum Dei nostri. Quod factum hodie liquidissime videmus, recognoscimusque praedictum a Spiritu sancto, compellante ecclesiam his vocibus: « Et interpretes tui praevaricati sunt in me, et venerunt structores tui destruentes te et dissipantes a te exhibunt ».

## RECITA CAPUT DECIMUM TERTIUM.

Commentum ignis purgatorii a pythagoricis, platonis et poetis magna ex parte esse sumptum, per assertionem eius commenti, remissionem peccatorum infringi, reclamantibus omnibus prophetis sanguini testamenti singularem iniuriam fieri, apostolis longe aliter docentibus, « ne evacuetur crux Christi ».

## Declaratio testimonii XIII.

Hoc commento ignis purgatorii nihil quidquam infirmius, nihil tamen quaestuosius unquam fuit episcopis, quorum cupiditati nimis angustus visus est orbis terrarum. Ii simillimi sunt eorum, de quibus ethnici dixerunt, « exhauriunt domos, et superstitione animos implent ». Missa facio incommoda accepta, abusus, blasphemias, quae praeter omnium opinionem, qui tum commentum primum nascens tolerarunt, secuta sunt. Unum dico, remissionem peccatorum hoc commento infringi, merum evangelium: « Venite ad me omnes — inquit Christus — qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos: tollite iugum meum super vos et discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris ». — Falleris, inquiunt pseudo-christi, si post baptisma mole peccatorum laborans et oneratus, Christo licet te quantumvis commendes iugumque crucis, quod ille tulit, super te expendas, aliamque instituas vitam, putes post mortem statim requiem inventurum, nisi te mercimoniis nostris redemeris. — Christus, inquires, pro me mortuus est. — Quid tum? respondent illi, culpa ob Christi mortem es liberatus, poenae



tamen temporariae sunt pendendae. — Falsa ergo tot oracula prophetarum recipientium maiora quaedam de Christo, eius scilicet morte delenda esse non modo peccata, sed memoriam etiam peccatorum. Isti autem non modo memoriam, sed cruciatus et tormenta multis ac multis annorum millibus restare asserunt. Quid autem Esaias pro Christo pollicetur? « Ego sum, ego ipse sum, qui deleo iniquitates tuas, et peccatorum tuorum non recordabor amplius ». Quid hoc est? « deleo ». Quid? « non recordabor amplius ». Et « delevi, inquit, ut nubem iniquitates tuas et quasi nebulas peccata tua ». Et quoniam, ut consecratum est memoriae a sanctissimis apostolis, « huic omnes prophetae testimonium perhibent, remissionem peccatorum », recipit Hieremias: « quaeretur iniquitas Israël et non erit, et peccatum Iuda et non inveniatur ». Quid est? « non erit ». Quid est? « non inveniatur ». Et alibi: « et peccati eorum non memorabor amplius ». Ezechiel item: « omnium iniquitatum eius, quas operatus est non recordabor ». Et Michaeas: « deponet iniquitates nostras et proiciet in profundum maris omnia peccata nostra ». Et David: « quantum distat ortus ab occidente, longe fecit a nobis iniquitates nostras ». Quae omnia ut essent plena ac firma, Christus mortuus est et resurrexit sedetque ad dextram Dei patris apparens vultui Dei pro nobis, qui per Esaiam ea de re peramanter exsultat, gratulaturque quodammodo nobis de plenissima remissione peccatorum. « Venite et arguite me, dicit Dominus. Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur, et si fuerint rubra sicut vermiculus, velut lana erunt ». Si dicerem nivem esse atram, quis ferret? Si fuloni dicerem in lana optime curata restare sordes eluendas, excandesceret iracundia homo, qui peritissimus eius artis, in ea lana curanda summam diligentiam impedisset, et merito, si fuisset optime curata.

Qui ergo dixerit ob Christi mortem non omnem remissionem peccatorum esse factam, quantum in se est dicit: — Ecce ego venio, ecce ego arguo: peccata nostra non sunt dealbata sicut nix, non sunt munda velut lana. — Tu vide iam, quam haec verba repugnent promissis Dei, quam sint immemores beneficii sanguinis

Christi, quam ingrati ii, qui abierint in has blasphemias. Sunt alia prope infinita, quae adduci possunt ex prophetis; inter quae et illud tritum, « vere languores nostros ipse tulit et dolores nostros ipse portavit ». « Vere portavit » dixit, ne tu inanem aliquam sed plenam remissionem delictorum factam esse putes. Et « languores et dolores » dixit, ut quis intelligeret, cum crudelissime, gravissimis poenis inquam, fuisset affectus innocentissimus Christus, has poenas fuisse pensas pro iis poenis, quibus debuissent affici ob eorum delicta electi Dei. Nam certe ob quid aliud poenae acerbissimae pensae sint ab innocentissimo Christo, nihil potest dici, nisi pro poenis ob delicta electorum suorum. Neminem vero tam impium esse arbitror, qui ausit dicere, poenas acerbissimas Christi non fuisse satis pro poenis, quae vel ante baptismum, vel post baptismum deberentur ob delicta electorum Dei. Nam si hae non sunt satis, nullae unquam erunt satis; aut si sunt satis tantum pro poenis delictorum ante baptismum, non expedit baptizari, nisi cum prope abeundum est e vita. Haec haeresis proxime accedit ad eam, quae fuit de lapsis post baptismum. Quasi vero Spiritus sanctus et benignitas Dei non sit semper eadem, quacumque hora conversus fuerit peccator a vita mala, et merita Christi sint ad mensuram, et eius crux non satis fuerit pro nobis diu viventibus, nisi nos ipsi poenis nostris suppleverimus. At quidem ille maiori benevolentiae signo non potuit declarare quam nos amaret, quam ut peccatorum nostrorum poenas ultro luerit, ne nos lueremus. Quamobrem iam ferme moriens, ut Spiritus sanctus per Davidem praedixerat, pie admodum clamabat e cruce: « Deus, Deus meus, quare dereliquisti me? Verba delictorum meorum ». Suscipe iam cogitationem dignam homine christiano. Quidnam is, de quo scriptum est: « qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius », dicat: « verba delictorum meorum »? Age cum his perpendamus verba patris, « propter scelus populi mei percussi eum ». Viden', quod isti petunt, ut eorum verbis utar, plenarie poena satisfactum sit divinae iustitiae? Qua de re audi communionem sanctorum. Omnes enim, qui ad Christum attinent, gratias agunt, et non modo ore fatentur, ut pseudochristiani multi, sed

corde etiam id firmissime credunt ad eorum iustitiam, et Christum volunt, fatentur, amplectuntur iustificatorem. « Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, disciplina pacis nostrae super eum et livore eius sanati sumus ». « Pacis nostrae » dixit, « et sanati sumus » dixit, ut ostenderet, relicto in nobis fomite peccati, non inducias, non curationem valetudinis infirmam, sed quotiescumque ad ipsum redierimus, remissione plena peccatorum, pacem et salutem veram datam nobis per Christum. Qua de re audi apostolum: « quoniam quidem Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, non imputans illis peccata ». Numquid pro his, in ignem coniciaris ad cruciatus temporarios? An hoc est non imputare? Item alibi inquit: « Iustificati ergo ex fide, pacem habemus ad Deum per Dominum nostrum Iesum Christum ». Et « ne evacueretur crux Christi, — inquit, — charitas Christi urget nos aestimantes hoc, quoniam, si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, et pro omnibus mortuus est Christus, ut qui vivunt iam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est et resurrexit ». Itaque, si redempti per sanguinem Christi, in ignem cruciarentur, non sibi cruciarentur, sed Christo, « qui — inquit — est donans vobis omnia delicta ». Quomodo « donans »? Tutissimum est, inquit Augustinus et Irenaeus, scripturam per scripturam exponere. Idem ait apostolus, « donantes vobismetipsis, si quis adversum aliquem habet querelam, sicut et dans donavit vobis, ita et vos ». Num, si quis iniuriam nobis intulit, iubet Dominus ut abesse illum a culpa dicamus, at supplicium nihilo minus aliquod sumamus pro tempore? Minime. Sed liberalissime condonandum monet; si peccaverit, non modo septies, sed septuagies septies, semper ita condonandum iubet, ut ne irae vestigium sit, ita ut ne meminisse quidem iniuriarum velimus, et de illis ipsis bene mereamur; id non sequeretur, si non et ita ipse semper nobis, cum redierimus, donaret: « Donantes, inquit, vobismetipsis, si quis adversum aliquem habet querelam, sicut et dans donavit vobis, ita et vos ». Dubiumne id est, quis sit « ut dans donavit vobis »? Haec vel piis animis satis sunt; ut impiis aliqua sint satis, non est requirendum.

Quamobrem credere debemus, quod uno ore tam firme testantur prophetae, quacumque hora conversus fuerit peccator, spiritu Dei commonitus, et dono gratiae Dei in viam redierit, exstare Deum, divina illa liberalitate, non peccati, non vindictae ullius memorem, sed paratissimum ad excipiendum per Iesum Christum summa etiam laetitia, « per quem — inquit apostolus, — reconciliavit sibi Deus, quae sunt in coelis et quae in terris ».

Nam quod contra tot tantaque testimonia prophetarum et apostolorum, tres vel quatuor suboscuros et incertos locos scripturae pervertunt, faciunt ut solent caetera. At praeponenda sunt a vobis, in quibus habitat spiritus Dei, multa paucis, certa incertis, firmissima infirmis, in quibus, quoniam ad aliud properat oratio mea, nolo multum morari. Locum, quem ex epistola ad *Corinthios* prima de igne adducunt, Chrysostomus et Theophilactus ea in epistola non de purgatorio igne, sed gehennae interpretantur. Augustinus non modo interpretatur sed argumentatur, probatque per eum ignem tribulationis tentationem debere intelligi. Quod ex Matthaei evangelio colligunt, id tale est, ut quivis intelligat ingenium eorum, qui abusus defendunt. Si qui sunt, qui plus nimio dialecticentur in sacris libris, hi sunt scholastici homines; tamen, ut pervicacia vincant, non pudet eos colligere ex negativa propositione affirmationem, quem dolum sophistarum omnes dialectici rident. Ii ut nobis illudant et populo Dei, cum placet, dialecticae regulis omnia examinant atque obstringunt, cum rursus placet, reiiciunt eam omnem disciplinam, et intra cancellos ipsi contineri nolunt. Astute. At Augustinus et Hilarius antiqui et doctissimi interpretes non his dolis. Ii, cum singillatim ea verba ponderassent atque illustrassent magnis commentariis, nihil tale viderunt posse colligi. Conclusionem elicit Hilarius assimilem praemissae. Omnino peccata cuiusque generis remittenda, blasphemiam in Spiritum sanctum non remittendam. At isti magni dialectici ratiocinantur ex eo, quod de aliquibus negatur, patet, quod de quibusdam, conceditur. Unde hoc dialecticae genus? negatur de aliquibus homo, si dixero, homo neque lapis est neque lignum; ergo concedendum est aliquem hominem esse lignum. At ne in his diutius, Augustinus tandem

absolvit quaestionem his verbis: « Quod scriptum est in evangelio Marci, « non habebit remissionem in aeternum, sed reus erit aeterni delicti », quid est aliud, quam id, quod secundum Matthaeum legitur, « non remittetur ei, neque in hoc saeculo, neque in futuro »? Aliis quippe verbis et alio loquendi modo, eadem ipsa est expressa sententia, alium evangelistam non destruit alius sed exponit ». Ex Malachiae verbis firmi nihil habent adversarii. Loquitur enim is de Iohanne Baptista, quemadmodum declarat Dominus ipse in evangelio; prosequitur postea propheta coniunctim, ut ordo postulat, adventum Messiae, qui dicitur Christus. Si de alia re sermo esset, sensus ille de Iohanne Baptista et Messia coniunctissimus et continuus divideretur. Nihil est quod de adventu primo non optime quadret. Quod in *Apocalypsi* dictum est facile omnes intelligunt, qui norint tropos scripturae. Saepe enim a brutis inanimis atque insensibilibus laudari et benedici Deus dicitur non quod ore quaedam, quod non habent, Deum laudent, sed quod ex iis tam belle dispositis eaque sapientia productis, quae in admirationem traduxit semper omnes homines, laus ingens atque immensa redundet in Deum. Huc spectant cantica illa, « Laudate Dominum bestiae et universa pecora, serpentes et volucres pennatae. Benedicite ignis et aestus Domino: benedicite noctes et dies Domino ». Quodque isti videntur non animadvertisse, de iis (quos spiritus vocant) omnibus pariter est dictum, « omnis spiritus laudet Dominum ». Quis haec intellexerit, nisi tropum scripturae intellexerit? Nam si quis ob haec dicta deducat, ergo nix benedicit Dominum, ineptissimus est. At, si quis ex omnibus, quae sunt in coelo terra et inferis cumulatissime laudem referri in Deum asserat, ad cuius gloriam facta sunt, quae ubique sunt; verissime asseret, ita ut veluti uno ore aequae omnia concinant, « sedenti in throno et agno, benedictio, honor et gloria ». Sunt et aliae interpretationes non reiciendae. Sed quid ego apud tales viros de his diutius? Cum praesertim doctissimi homines ad haec et caetera, quae obiiciuntur, apposite et copiose responderint.

Commentum de purgatione animorum a pythagoricis, platonis et poëtis sumptum non dissimili argumento ex fabulis

Graecorum potuistis nosse, quod latini poëtae secuti versibus celebrarunt.

Quin et supremo cum lumine vita reliquit,  
 non tamen omne malum miseris, nec funditus omnes  
 corporeae excedunt pestes, penitusque necesse est,  
 multa diu concreta modis inolescere miris.  
 Ergo exercentur poenis, veterumque malorum  
 supplicia expendunt, aliae penduntur inanes  
 suspensae ad ventos, aliis sub gurgite vasto  
 invectum eluitur scelus aut exuritur igni.

Commentum unde sumptum sit videtis. At quod spectris auctoribus ab evangelio Christi de firma plenaque remissione peccatorum, reclamantibus prophetis et apostolis, abduci potuerunt, fuit quidem indignissimum. Aiunt enim, animos duorum hominum, qui mortem obierant, in balneis squalidos, sordidos, Gregorio esse visos; hos petiisse, ut pro se fierent oblationes, quae gregorianae hodie appellantur, eas remedio fuisse, ut illi poenis liberarentur, adsecutique remissionem peccatorum in regionem piorum convolarint. Nolite dubitare, principes, daemonia quaedam forma hominum induta, non hominum animos, fuisse emissa ad Christi gloriam imminuendam, ad evacuandam crucem Christi, ne scilicet remissionem peccatorum, nobis pie abeuntibus e vita, omni ex parte factam plenam atque perfectam esse Christi morte crederemus. Gloriam crucis Christi malum daemoniorum genus est inimicissimum. Daemonia illa fuerunt, ad sollicitandos homines, ut ingrati immemoresque essent beneficii accepti ob mortem Christi, ut, precium redemptionis solutum esse negantibus hominibus, quos sanctos appellaremus, aliqua ex parte, quod omni ex parte esset solutum, singularis iniuria fieret sanguini testamenti in perniciem animorum nostrorum sempiternam. Qui a daemonibus vexantur, saepe, cum super eos nomen Domini nostri Iesu Christi a piis invocatur, clamant esse sese aut occisorum quorundam hominum animos aut eorum, qui suspendio perierint aut morte aliqua tetra, quod magni theologi falsum esse docent, asseruntque, non dubias esse illusiones

daemonum, qui superstitiones et tenebras vellent offundere humano generi, certas esse animis assignatas a Deo sedes sive cruciatus sive quietis. Id illi tandem in nomine Iesu convicti fatentur, et cuius legionis sint, coguntur dicere. Quod si verum est, quis tum non videat, huiusmodi monstra illusiones fuisse daemoniorum, quae persuaderent animos hominum vagari post mortem, et ad balnea quoque relegari, ut poëticis fabulis sancta conspurcicaretur Christi religio et ad illud laberemur, « centum errant annos volitantque haec balnea circum »? Facit enim Deus aliquando potestatem daemoniis illudendi in portentis et signis, sive ob peccata nostra, sive ut, illusionibus iis illustratione Spiritus sancti mirum in modum reiectis, effulgeat gloria Christi, cuius evangelium nos, qui in lucem admirabilem vocati sumus, sequi par est, neque modo daemoniis credere sed ne angelis quidem de coelo, si aliud evangelizent, quam quod receptum est, debemus. An, si constet, nos optime esse ablutos, immo vero sanctificatos et iustificatos, et dixerit aliquis post mortem abluendos et purgandos, non aliud evangelizat? Testimonium daemonia cum dare vellent, respuit Christus, et minas etiam addidit. Et de purgatione animorum doctrinam ad minuendam gloriam crucis ab his recipiet ecclesia, cuius dux et moderator est Christus? Ecquid aliud illusores illos voluisse putatis? nisi ut persoluto precio, et poenis depensis pro peccatis nostris, a Christo tam amanter, tam liberaliter, plus etiam quam oportebat, aliqua a nobis iniuria fieret spiritui gratiae et sanguini testamenti, per quem sanctificati sumus, ut periremus culpa nostra, qui, si nos eo sanguine vere ablutos crederemus et Christum iustitiam nostram fateremur, salvi esse possemus. Obsecro, quid sit illud, quod in edicti formam iis verbis Spiritus sanctus iussit pronuciari, perpendite etiam atque etiam, « quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum dixerit, in quo sanctificatus est, et spiritui gratiae contumeliam fecerit ». Haec addidit, cum prius dixisset: « et peccatorum et iniquitatum eorum non recordabor amplius. Ubi autem horum remissio, iam non est oblatio pro peccato »; quibus illud videtur consecrarium, qui Christo semel

pro nobis oblato peccatorum et iniquitatum Deum recordari asserit; qui remissione peccatorum gratis per spiritum Dei facta oblationem iam esse pro peccato asserit: is, reclamantibus prophetis, reclamantibus apostolis, conculcat filium Dei, evacuat crucem Christi, et sanguini testamenti singularem iniuriam facit. Quae si indigna et non diutius toleranda viderentur, ea ne iam fiant, vobis ad gubernacula reipublicae sedentibus, providete, principes, ipsi, in quibus habitat spiritus Dei.



## RECITA CAPUT DECIMUM QUARTUM.

De coena Domini sacramentum est sanctissime institutum a Christo, quod a Paulo caeterisque apostolis et discipulis Domini et multis postea saeculis, quibus optimi fuerunt christiani, summa diligentia est observatum. Verum in hoc, ut in caeteris, videndum, ne arrogantia quorundam, qui omnia sibi licere putarunt, itum sit in abusus. Quod si ipse apostolus in hoc ritu nihil sibi temere faciendum putavit, quam moderationem adhibere caeteri debuissent, facile intelligimus. Quid autem inquit apostolus? « Ego enim accepi a Domino, quod et tradidi vobis ».

## Declaratio testimonii XIV.

Cum dormientibus hominibus iam olim, instigante Satana, aliud semen superseminatum sit in agro Domini, et incredibiles abusus creverint in ecclesia, crebritate traditionum hominum, rescindentium verbum Christi et instituta apostolorum, accusantur adversarii. Ii ut in aliquo loco consistent, in dicto quodam Pauli praesidia defensionis constituerunt. Locus est apud Paulum in epistola prima *ad Corinthios*, quos inter cum essent contentiones, quas ille scissuras vocat, cuiusmodi fortasse, nisi maiores, hoc tempore sunt in ecclesia: de manducatione coenae dominicae eos arguit, quod non invicem sese expectarent, commonens his verbis: « Itaque, fratres mei, cum convenitis ad manducandum, invicem expectate: si quis esurit, domi manducet, ut non in iudicium conveniatis, caetera autem cum venero disponam ». Sunt haec coniuncta et continua, quid isti haec ad abusus defendendos vertunt, cum de ritu et usu coenae

dominicæ loquatur apostolus? Agite vero, per Iesum Christum istorum hominum ingenium considerate. Ex hoc loco volunt tueri prope omnes ritus, quos, ubi per scripturas canonicas non possunt ostendere sibi ab apostolis traditos, velut acceptos per manus asserunt. Videamus qui tueantur. Videte, quantum ipsis concedam: si in hoc ritu servando fideles fuerunt et veluti depositum aliquod integre custodiverunt, in caeteris omnibus fatebor fideles fuisse; at si, quo integritatem suam in caeteris volunt probare, hunc ipsum ritum, quem non esset ausus apostolus alium facere ab eo, quem Christus instituerat et discipulis administraverat, et quo primitiva ecclesia illa usa est, quæ incredibili hominum sanctitate floruit, si hunc, inquam, ritum tantis auctoribus Christo, Paulo, caeteris apostolis et primitiva ecclesia firmum sanctumque, audaces isti homines conturbare, permiscere, et non modo clam multa addere, sed publico edicto multa demere non sunt veriti; quid credamus in caeteris ritibus, in quibus neque tales neque tantos auctores possunt ostendere, continuisse sese intra cancellos, intra pietatis terminos, ullis officii et reverentiae legibus? Nam certe, quam institutionis Christi, apostolorum et primitivæ ecclesiæ rationem habuerint, obsecro, cognoscite ex edicto eorum in sessione decima tertia concilii Constantiensis. Recita edictum: « Licet Christus post coenam instituerit et suis discipulis administraverit sub utraque specie panis et vini hoc venerabile sacramentum, hoc non obstante, et licet in primitiva ecclesia huiusmodi sacramentum reciperetur a fidelibus sub utraque specie panis et vini, postea a conficientibus et a laicis tantummodo sub specie panis suscipiatur. Quapropter dicere, quod hanc consuetudinem aut legem observare sit sacrilegum aut illicitum, censi debet erroneum, et pertinaciter asserentes oppositum præmissorum tamquam hæretici arcendi sunt et graviter puniendi ». Quæ hæc est in verbis pharisaicis audacia? quæ in edicto antichristi impietas et truculentia? Licet, inquiunt, « Christus post coenam instituerit et suis discipulis administraverit, tamen hoc non obstante... »; quid ergo obstat, si hoc non obstat? « Licet — inquiunt — in primitiva ecclesia hoc venerabile sacramentum

reciperetur sub utraque specie, hoc non obstante, petentes laici communicari sub utraque specie tamquam haeretici arcendi sunt, et graviter puniendi ». Si Christi, si apostolorum, si discipulorum Domini, si primitivae ecclesiae ratio habita non est, cuius rei habitam olim ab istis putatis rationem aut habendam unquam? Si tanti ac tales auctores, Christus, Paulus, apostoli, discipuli Domini, primitiva ecclesia non obstiterunt istorum audaciae, quorum iudicio et monitis arbitramini impios sacrilegos potuisse aut posse cohiberi? Neque vero me fugit multas adversarios comminisci causas, quibus ab instituto Christi, a consuetudine primitivae ecclesiae sit recessum, ut ne sub vini specie servatum sacramentum coacesceret, neve cum per urbem circumferretur lapsu sacerdotis posset effundi. Hoc illud est, quod dicebam; si tam diligentes fuissent episcopi Romani in excogitando, ut praeceptum Christi sacrum, solemne, integrum, perpetuum maneret, quam fuerunt in sanciendo, ne aliqua ex parte servaretur, o felicem rempublicam Christi! Quid opus est servari sacramentum in aere? quid circumferri per urbem, si domi potest confici et exhiberi aegroto? An sacramentum hoc in templo Salomonio instituit Dominus, vel domi potius alicuius?

Omnia sunt excogitanda, ut praeceptum, ut institutum Domini stet. Causae, si quae obstare videntur, tollendae sunt, non excogitandae causae ad pervertendum et tollendum praeceptum et institutum Domini. Quod vero quidam non modo laicis tenuioribus sed imperatoribus et regibus sacrificulos et salisubulos quosdam de grege eorum, de quibus dicemus, putent praefereandos et acceptione sacramenti distinguendos, primitiva ecclesia, quae servavit traditionem apostoli, in qua non erat ista discretio, testimonio est, quod ambitione faciant non apostolico instituto. Nam quod Christum pontifices sibi instituerint antecursorem in itineribus, et laterna et praesidio circumstant, faciunt et indigne et astute, ut ferociorum animos contineant, et plebeculae undique effluentes provolvantur ad pedes eorum, quos, ut ipsi volunt persuaderi, Christus ipse concomitatur. Sunt pontificum Romanorum hae propriae artes: in his nolite

quaerere, quam sint excellentes. Quod autem mercimonia quoque ex hoc sacramento instituta sint, nolo commemorare. Dissertissime enim et graviter ea de re dictum est, et dicitur fortasse ab aliis. Neque est dubitandum, ut ea a piis, augustis, optimisque principibus tollantur, quos servus Iesu Christi (quantum nomen Christi commovere potest) orat atque obsecrat per Iesum Christum, ut hoc sacramentum quam fieri potest purissimum restituatur ex vestigiis doctrinae apostolicae, non per modum oblationis novae et sacrificii, sed commemorationis tantum oblationis eius sanctissimae et sacrificii, quod semel factus est Christus pro nobis, quo a se ipso tam amanter pro nobis oblato, et in sacrificium libentissimo accepto a patre, omnes oblationes et sacrificia cesserunt in abominationes. Unde vox Domini obtestantis, « qui offert oblationem, quasi qui sanguinem suillum offerat ». Oblationes enim et sacrificia in hoc tantum pro tempore erant constituta, ut veluti umbrae significarent hoc unum Domini sanctum et salutare, in quo salus facta est omnibus invocantibus nomen eius. In commemorationem ergo Domini coena est manducanda, qui inquit: « Haec facite in meam commemorationem ». Et apostolus: « Quotiescumque manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat ». Hoc ergo tantum faciendum, dum in commemorationem divino instituto manducamus panem illum et calicem bibimus, ut mortem Domini annunciemus donec veniat. Sed tu iam. —

## RECITA CAPUT DECIMUM QUINTUM.

Preces, rogationes publicae, imprudenter fortasse nonnullae irrepserunt rudibus saeculis, nonnullae superstitiosis. Quamobrem in hanc quoque curam est incumbendum, viri Dei, ut sint purae castaeque deprecationes, modique orandi evangelici, ut et imperiti etiam bene petere adsuescant. Verba enim apostoli commonefacere nos debent: «Petitis et non accipietis, eo quod male petatis».

## Declaratio testimonii XV.

Quod Christus ipse formulam orandi dictarit, universae ecclesiae permagni refert: quod autem receperit, quidquid a patre per se petierimus, id nos impetraturos, manifeste a patre per filium docet esse petendum. Atque hoc Ambrosii illud est, «filius vult rogari patrem; pater vult rogari per filium». Progreredientibus saeculis sensim (quae est infirmitas hominum) aliae formae sunt excogitatae, quae nunc a contentiosis et superstitionis defenduntur ex locis subobscuris et incertis scripturae sinistra nonnunquam interpretatione depromptis. At si certissima dubiis, perspicua obscuris, optima caeteris praeponenda sunt, hanc unam deprecandi formam caeteris praeferemus. At eo processit impietas et audacia latronum, qui a pontificibus Romanis omnibus locis dispositi sunt, ut quaestuosas traditiones tueantur, ut si quis concionetur, hoc orandi genere adsuefaciendum populum Dei, alia genera intra modum adhibita, peritioribus fortasse non esse periculosa, infirmioribus et imperitis periculum aliquod posse creare, ut si in orando cultum, qui uni Deo debetur, creaturae dent, si sanctorum patrocinia toto animo complexi, spei minus minusque fiduciae in Christo habeant, eaque re

impediantur, ne toto corde et mente omni diligant Dominum Deum, quod maximum praeceptum est, in hac rogandi formula, quam Christus instituit, nullum periculum inesse; ita, inquam, si concionetur, eo processit impietas, et audacia hominum pontificiarum partium, ut magnum periculum impendat homini apostolice et evangelice docenti. Ignorantia vero et confusio perversioque primi et maximi praecepti, de uno Deo tantum colendo tota mente et corde et animo, excusationem ullam non habet; siquidem « plus quam oportet non necesse est sapere, sed quantum oportet sapere, omnino necesse est ». Nam quod, ut diximus, apostolus gentium ob id ipsum epistolam scribat, et tantopere contendat, angelos neque esse credendos neque appellandos, neque invocandos mediatores Dei et hominum, sed unum Iesum Christum commonefacere gentes satis debet, nunquam fuisse daturum apostolum, ut animas hominum, qui e vita decesserunt quantalibet sanctitate fuerint, appellaremus atque solemniter invocaremus patronos, intercessores aut mediatores. Quae non eo dico, ut Virginis clarissimae et gloriosae et sanctorum hominum memoriam delendum putem, immo vero peregre conservandam; verum ea tollenda arbitror, quae si illi viverent, non ferrent. Novimus Barnabam et Paulum, cum ipsis de aris ponendis turbae Lystris cogitarent, conscissis tunicis exsilisse et proclamasse: « Viri, quid haec facitis? et nos mortales sumus, et similes nobis homines ». Novimus Petrum, cum ad eius pedes abiecisset se Cornelius centurio, aperte recusantem huiusmodi cultum et arguentem his verbis: « Surge; et ego ipse homo sum ».

Haec cum ita sint, tamen nos de templis ponendis et de cultibus iis cogitamus, quos illi omnino vetuerunt. Quid hoc est? Utrum honoribus afficere sanctos viros, an vero gravissimis iniuriis onerare? De statu autem et picturis cum propheta dicimus: « simulacra gentium, argentum et aurum, opera manuum hominum. Similes illis fiant, qui faciunt ea, et omnes, qui confidunt in eis. Confundantur omnes, qui adorant sculptilia, et qui gloriantur in simulacris suis ». Nam quod aliquibus saeculis quaedam concessa fuerunt, habuit fortasse ea res excusationem,

quod per id tempus lacte opus erat, et non solido cibo. Nunc vero, cum iam non simus parvuli fluctuantes, occurramus, viri fratres, « in unitate fidei, in virum perfectum, in agnitionem plenitudinis veritatis ».

An ignoramus hoc abusu in idololatriae speciem incidere plebeculas, maiores fieri concursus ad hanc aedem quam ad illam, statuæ aut picturæ alicuius gratia, ante quas vulgo se homines abiiciant atque provolvant? Quod malum quoniam neque nunc primum repit, haud nunc primum admonuit spiritus Dei, qui in concilio aliquando meminit suæ voluntatis. Nam quæ ea vox est? « Placuit picturas in ecclesia Dei esse non debere, ne, quod colitur aut adoratur, in parietibus depingatur ». In cordibus enim fidelium non modo pictum sed fixum esse debet, viri fratres, quod in spiritu coli debeat et adorari, dicente Domino: « veri adoratores adorabunt patrem in spiritu et veritate », nam et pater tales quaerit, qui adorent eum. « Spiritus est Deus, et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare ». Cuius rei gratia exstant Spiritus sancti monimenta illa aeterna canonicae scripturae, ex quibus ut puram integramque pietatem hauriant homines, sanctissimi apostoli instituerant, ut presbyteri, non sacrificuli, sed seniores quidam spectatae vitae et doctrinae per civitates constituerentur, ad praedicandum verbum Dei, non ad ponendas statuas, picturasque exornandas, ut ex his (quod aiunt) rustici et imperiti edocerentur, sed ex vivo et efficaci sermone Dei, « qui penetrabilior est omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animae ac spiritus, discretor cogitationum et intentionum cordis ». Id enim in primis est cavendum, viri principes, ne indulgentia statuarum occasio detur infinitae hominum multitudini ad idololatriam, qua illi quidem peribunt; sed eorum animas Dominus de manu vestra requiret. Id ne vanum aut futile putetis, contestatur hodie vobis servus Iesu Christi, quod illi in impietate peribunt, animas autem eorum Dominus de manu vestra requiret. Hoc zelo imperatores quidam olim graviter commoti, vi pontificum Romanorum nihil profecerunt. Ii pontifices ne vobis impedimento sint, providete, principes, vos, in quibus habitat spiritus Dei, eorum apertissimam

impietatem ad resistendum semper Spiritui sancto, sicuti et patres eorum, ne sequamini. Audite quam indigne, quam insipienter ex iis unus quidam maximus falsae pietatis involucro, quo se ille saepe obtexit, reprehenderit Servium episcopum Massiliensem, qui ad idololatriam ruentem populum cum animadvertisset, statuas omnes in ecclesia confregerat. « Perlatum — inquit — ad nos fuerat, quod inconsiderato zelo succensus sanctorum imagines sub hac quasi excusatione, ne adorari debuissent, confregeris, et quidem, quia adorari eas vetuisse laudamus, omnino fregisse reprehendimus. Dic, frater, a quo factum sacerdote aliquando auditum est quod fecisti? » Ut omit- tam de Paulo apostolo illud, « quod cum Athenis esset, incitabatur spiritus eius, videns idololatriae deditam civitatem »; nonne, o Gregori, legimus Ezechiam regem Deo gratissimum, illum ipsum, de quo scriptum est, « qui fecit quod erat bonum coram Domino, iuxta omnia, quae fecerat David pater eius, ipse dissipavit excelsa, et contrivit statuas, et succidit lucos, confregitque serpentem aeneum, quem fecerat Moyses; siquidem usque ad illud tempus filii Israël adolebant ei incensum »; quem tamen serpentem fecerat Moyses, posueratque ex iussu Dei, et erexerat ad salutem coniciendum oculos in eum: fregit signum ipsum Christi Domini, cum idololatriae periculum ex eo immineret, confregit — inquam — Ezechias signum crucifixi, « et erat Deus cum eo »; propter quod laudatur Ezechias in scripturis sanctis, reprehenditur Servius a pontificibus Romanis. Non est idem spiritus, qui laudat et qui reprehendit. Ecquid erat, inquam, serpens ille aeneus, nisi signum ipsum referens Christum Domini? Hoc tamen signum tam sacrum, tam solemne positum, ut eo commonerentur omnes de Christo, in quo spes omnis salutis esset ponenda, imminente periculo idololatrias, confringi debere, spiritus Domini pungens monuit Ezechiam. Eodem spiritu, qui est spiritus intellectus et sapientiae, punctus et commonitus Servius, succensus dicitur spiritu et zelo inconsiderato. Sunt hae blasphemiae in Spiritum sanctum propriae pontificum Romanorum, per quos non est dubitandum, saepe illuisse Satanam gentibus et populis, prae se ferentem angelum lucis.



Sed ego haec missa facio. Ad illud potius venio, quod auctores ipsi, quibus nituntur, tametsi aliquando non ita constanter locuti sunt, ea tamen vis est veritatis ut saepius gravissime commonuerint firmiterque adseveraverint. Quod operae precium est audire: « qui habet aures audiendi audiat, quid hic spiritus dicat ecclesiae. Aliter orare, quam Christus, filius Dei, qui veritas est, docuit, non ignorantia sola est, sed culpa, quando ipse posuit et dixit: « reicitis mandatum Dei, ut traditionem vestram statuatis ». Quid est « non ignorantia sola est sed culpa »? Dicant iam, ignorantiam eius rei minimi esse faciendam, operarii Satanae. Haec Cyprianus et Augustinus in evangelio Iohannis multis ac multis agit, ne in sanctis, quos montes appellat, spem ponamus et collocemus. « Non potest — inquit — esse in pace, qui spem ponit in homine. Nolite sic erigere oculos in montem, ut putetis in homine spem vestram esse collocandam, et sic dicite, — levavi oculos meos in montes, unde veniat auxilium mihi, — ut statim subiungas, — auxilium meum a Domino, qui fecit coelum et terram. — Unde enim et montes acceperunt, ibi et spes nostra ponenda est. Mons erat et ille Baptista Iohannes, qui dixit, « non sum ego Christus, ne quisquam spem in monte ponens caderet ab illo, qui montes illustrat ». Et Chrysostomus, cum ea verba interpretaretur, « unusquisque autem videat, quomodo supraedificet, fundamentum enim aliud nemo potest ponere praeter id, quod positum est, quod est Christus Iesus »; subdit: « super hoc ergo aedificemus, et pro fundamento habeamus tamquam palmitem vitis. Nullum sit medium inter nos et Christum; quod si medium aliquod intercederet, id quam primum aboleamus ». Quae etsi verissime dicta sunt, quia tamen eius non sunt auctoritatis, qua scripta illa divinitus, ab illis non recedamus, ex quibus docendi sunt populi ut firmissimi haereant, et fiduciam in Deum per Christum habeant. « Iustificati — inquit apostolus — gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quae est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine eius ad ostensionem iustitiae suae »; non ergo ut te ex operibus tuis iustum ostendas, sed ut ipse Christus clarificetur, quod est, ut omnibus sit compertissimum, quia

solus ipse est iustus, per se ipsum tantum iustificans nos, iustitia ipse nostra, lavans nos in sanguine suo. Est ergo perpendendum, quod nostra causa venia digni non sumus, quod mediatore opus est ad Deum, sed firmissime credendum, unum mediatorem Dei et hominum esse Christum, cuius sanguinis et vitae effusione pro nobis placatus est pater, ita ut quicumque quacumque hora, ut pollicitus fuerat per prophetam, ad Deum revertemur, nos benigne excipiet. Quamobrem assiduum propitiatorem habemus apud Deum praepotentem et volentem. « Unde et salvare — inquit apostolus — in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum ». Et rursus: « Non enim in manufacta introiit Christus exemplaria verorum, sed in ipsum coelum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis ». Sunt haec firmissima, quibus nemo est tam stolidus, ut putet comparari posse, quae adducunt adversarii eruta ex locis obscuris et incertis: cuius modi est illud, « si steterit Moyses et Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum ». — Viden', inquit, cum iam olim e vita discessissent Moyses et Samuel, de ipsis tamen dicitur, « si steterint Moyses et Samuel coram me ». Non pudet haec proferre in lucem? Tropi sunt quidam scripturarum, qui et frequenter apud latinos; his non bene acceptis, nihil mirandum, si caetera male accipiantur. Conditionis nota nihil habet firmi, nihil asserit, nihil ex ea sequitur, nisi antecedens postea adfirmes ac sumas, ex quo consequitur id, quod est annexum; at per se nota nihil complectitur. Tale est illud,

Non tali auxilio nec defensoribus istis  
tempus eget, non si ipse meus nunc adforet Hector.

Neque enim sequitur, si viveret Hector, Troia non caperetur, ergo signum est, Hectorem vivere. Sed bene tropus est, quo ostenditur nullam esse spem de salute Troiae. Sic neque sequitur, si Moyses et Samuel orarint, non flectar, ergo signum est Moysen et Samuel mortuos orare. Sed bene colligitur, nullam esse spem in flectendo. Tropo item illud est involutum, « facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut, cum defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula ». Quis est, qui recipit in aeterna

tabernacula? Quis est, qui dat vitam aeternam? nempe is, qui dicit: « Oves meae vocem meam audiunt, et ego cognosco eas, et sequuntur me, et ego vitam aeternam do eis ». Nam si quod unicuiquam ex minimis Christi fecerimus, Christo fecerimus, et quia pro ea re, quae fidem non inanem consequitur, nobis Christus dat vitam aeternam, dicuntur quodammodo et illi dare nobis vitam aeternam. Ut si quis furtum fecerit avarus, et ob subreptam pecuniam infelici arbori recte suspendatur, dicimus, pecuniae illum ad furcas adegerunt, cum tamen ad furcas non pecuniae sed lictores hominem adegerint.

Horum similia multa sunt ineptissime ab adversariis adducta, quae, ne vobis fastidio sim, omitto. Nam quod viventes orant pro viventibus, non puto vos expectare, ut diluam. — Ab iis, inquiunt theologi, qui sunt in statu promerendi, charitas exigitur. — Hic insurgunt. — Non est credendum charitatem minui in animis beatorum. Quare, cum ii charitatem habuerint viventes, eam non est credendum amissam in meliore vita. — Coniectura haec est non sat firma. Quid si id est, quod nonnulli asserunt, omnem illorum charitatem, quae, ut ipsi loquuntur, in duos ramos divisa erat (in dilectione Dei et proximi), postquam a nobis est decessum, in unum ramum cohaesisse, in dilectione scilicet solius Dei: ad eius maiestatem, potentiam, gloriam contemplandam conversi, aliud praeterea nihil cogitare dicuntur, Christi gloriam expectantes et regnum Dei tanto desiderio, ut de vindicta clamare etiam dicantur, et charitate tamen ardeant, amore scilicet illo in Deum. Adde, quod etsi in sinu Abraham esse dicantur, qui tamen sit ille sinus, qui status dormientium ad diem usque iudicii non liquet. Qua de re Augustinus: « Sed quinam sint illi beatissimi, qui iam sint in ea possessione, quo ducit haec via magna, quaestio est. Et angeli quidem sancti quod ibi sint, nulla quaestio est. Sed de sanctis hominibus iam defunctis, utrum ipsi saltem dicendi sint iam in illa possessione consistere, merito quaeritur ». Et Irenaeus inquit: « Cum enim Dominus in medio umbrae mortis abierit eo, ubi animae mortuorum erant, post deinde corporaliter resurrexerit, et post resurrectionem adsumptus est, manifestum

est, quia discipulorum eius, propter quos et haec operatus est Dominus, animae abibunt in invisibilem locum, definitum eis a Deo, et ibi usque ad resurrectionem commorabuntur substinentes resurrectionem». Praetereo aliorum opiniones, et de dormitione quaedam, et caetera nata ex coniecturis, quae nihil habent firmi et comperti. At modus iste rogandi a patre per filium non est ex coniecturis, firmissimus est, nusquam dubitabilis; quia ex verbo Dei. Quae amentia tandem est adsuefacere gentes et nationes rebus incertis et coniecturis? Annon hoc illud est? « et ad fabulas convertentur ». Verbum Dei conferre cum coniecturis numquid est apostolicum? Evangelicum mandatum non pluris facere quam traditiones hominum, numquid episcoporum, qui Petrum, qui Paulum agunt? qui columnas ecclesiae? Hic modus evangelice orandi est certissimus, et propterea praeferendus, et longe lateque praeponendus et praedicandus. Quid ad haec respondent? Haec Christi verba sunt. Si Christo non credunt, quod re faciunt, declarent iam verbis animi sententiam. Quid inquit Christus? « Quodcumque petieritis patrem in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur pater in filio ». — Peccator, inquires, sum —. At ipse dicit: « Non veni vocare iustos, sed peccatores ». Quomodo vero vocat? quam benigne, quam liberaliter. « Venite — inquit — ad me omnes, qui laboratis et onerati estis; et ego reficiam vos; tollite iugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris; iugum enim meum suave est et onus meum leve ». Si quis ad Christum mediatorem tam humaniter invitantem non venit; sed alio diffidens divertit infeliciter; ne dubitate, principes, eorum factum esse culpa, qui maximam curam, incredibilem diligentiam adhibuerunt in firmandis eorum traditionibus. Quod si vos illos esse meminertis, qui esse debetis, nihil vobis erit potius, quam ut omnes intelligant, nihil vos in hoc concilio voluisse minus quam superstitionis, nihil plus quam verae et solidae pietatis, ut quantum in vobis fuit per sententias vestras et bene facere et bene petere discerent gentes et nationes, quae invocant nomen Domini nostri Iesu Christi.

## RECITA CAPUT DECIMUM SEXTUM.

Magna est licentia episcoporum et clericorum, qui, ut vitae integritate et innocentia in ecclesia lucerent, quasi divinum aliquod lumen, et caeteris praeessent, ampla ab imperatoribus et regibus privilegia sunt adsecuti, quibus freti in omne genus sceleris irrumpunt, et coërceri legibus civilibus non possunt: quae sicuti olim iustis de causis fuere concessa, sic nunc iustis de causis possunt tolli. Quae multa ex scriptura divina adducunt pontifices Romani, ut eorum decreta fulciant, ne omnino accusentur, ne in eos animadverti possit, ne iudicia subeant, durissime esse detorta et nulla esse. Pleraque enim, quae de Christo Domino dicta sunt, sibi arrogant; nonnulla, quae ad fideles omnes aequae spectant, veluti ad se solos dicta convertunt; multa ieiune collecta inanem verborum volubilitatem habent, praeterea nihil. Posse nunc imperatorem Romanum et reges principesque reipublicae christianae privilegia, quibus illi abusi sunt multis saeculis, abrogare, edictum proponere, ut, quorum vita spectatae non fuerit integritatis, a plebe sancta et populo Dei de gradu deici possint, et alii spectata vita et doctrina substitui, ut spiritus, quem Deus suscitabit in populis, « vendentes et ementes in templo eiciat, et mensas nummulariorum et cathedras vendentium columbas evertat ».

## Declaratio testimonii XVI.

Quod imperatorum et regum privilegia perpetua esse non possunt, sicuti verbum Dei, quod summa est auctoritate, huc appulerunt animum pontifices Romani, ut decretis agerent veluti

ex scriptis divinis, quibus tam se quam asseclas et collegas eximerent legibus et poenis, quae civiles appellantur; unde et forum sibi aliud a laicis constituerunt: cui rei iustissimis olim de causis faverunt pii imperatores et reges. Nam eo tempore, quo non penitus recepta fuerat religio christiana, sed veluti nova et propterea invidiosa pullulabat, magnis opibus summa potentia oppugnabatur ab iis, qui deorum cultum, antiquos ritus, paternam atque avitam religionem tolli videbant. Eam ob rem, si pius aliquis per id tempus imperium Romanum est adsecutus, id in primis curavit, ut ecclesiae praefecti tuti essent a laicorum vi regulorumque potentia. Iis principibus orta sunt privilegia et donativa, quae illis temporibus fuerunt quidem necessaria: at ubi gentes et nationes vulgo idolorum cultibus reiectis ad Christum venissent, privilegiis nihil valde opus erat, cum praesertim ecclesiarum praefecti summo apud omnes in honore essent, qua data est via ad tyrannidem non modo humanarum rerum sed etiam divinarum. Perstiterunt nihilo secius in incepto pontifices, et in dies magis se privilegiis munierunt. Concedebant omnia imperatores et reges, vel specie pietatis allecti, vel lactati spe a pontificibus Romanis quaestuosa interpretatione scripturae, qua assererent, sibi unis esse potestatem fores coeli aperiendi transmittendique animas in coelum, licet eae ad inferna etiam loca essent destinatae, ut praeter alias fabulati sunt de Traiani et de Dagoberti, Francorum regis, anima apud Lyparim extorta de manibus daemoniorum; vel quod privilegia et dona non pontifices, sed divum Petrum ipsum a principibus accipere confinxerunt; unde cum ab aliis multis multa dona tum ab Honorio fundi coempti etiam beato Petro dicuntur. Et perbelle Gregorius ad Ricardum regem Visigothorum Petri nomine rescripsit his verbis: « beatus Petrus, apostolorum princeps, quam libenter munera excellentiae vestrae suscepit »; vel quod his artibus, rudibus saeculis, pontifices Romani magna auctoritate praediti partaque monarchia imperium iam haberent in principes, ut nihil quod vellent non impetrarent, ita ut Henrico pontifex Romanus potuerit dicere: « te imperatoria administratione regiaque deicio »; et Toletano archiepiscopo Romam

venienti et in verba pontificis iuranti pallium et privilegia concesserit eundemque totius Hispaniae primatem instituerit. Huiusmodi exempla infinita qui velit, ex historiis petere potest. Quae copiosissime dici possunt, a me ne quidem attinguntur, tum quod hic mihi labor non est propositus, tum quod res altera non est notior. Quod suscepi, id exsequar. Nam quod hominum privilegiis contenti non fuerint pontifices Romani, sed vim etiam attulerint scripturis divinis, ut per eas tyrannis in omne hominum genus et in verbum Dei statueretur, meum officium est, ut ostendam indignissime esse factum; vestrum reliquum est, principes, in quibus habitat spiritus Dei, ut, quid vobis agendum sit, cogitetis.

Maximum commentum fuit semper pontificum Romanorum omnium de potestate episcoporum et clericorum immunitate, in quo nihil aliud cogitatum, nihil aliud susceptum, nihil aliud actum est, nisi ut pontifices Romani provinciarum omnium totius reipublicae christianae, regnorum, gentium, nationum, orbis denique terrarum domini constituerentur; quam cupiditatem non modo in decretis sed ne in precibus quidem ipsis ad apostolos occultare potuisse dicuntur. « Agite, — inquit Gregorius, — apostolorum sanctissimi principes, et vestra auctoritate interposita confirmate, ut omnes nunc demum intelligant, si potestis in coelo ligare et solvere, in terra quoque, imperia, regna, principatus, et quidquid habere mortales possunt, auferre et dare nos posse ». Quid Petrus? quid Paulus audiit unquam indignius? quorum nomine haec tyrannis exercetur in terris. Pontificum summa cura fuit in singulis prope decretis, quae magno numero tomis conciliorum continentur, ut in primis agerent, episcopos omnino non esse accusandos, episcopos non esse iudicandos ab hominibus, hominesque omnes episcoporum at episcopos Dei iudicium expectare: perinde atque non idem aequae sit constitutus iudex vivorum et mortuorum, cuius adventum tam illi quam nos expectemus. Ubi de hac re imperatorum et regum responsis frigide et ieiune confictis egerunt, insurgunt ex dictis quibusdam veluti divinae scripturae. « Criminatores contra doctorem nemo suscipiat, quia non oportet



filios reprehendere patrem». Quid hoc sit si postules, scriptum est, inquit, « non est discipulus super magistrum»: in quo dicto sibi impudenter arrogant, quod Christus de se ipso verissime pronunciat, ea arrogantia elati, ut non intelligant, quid moneat Christus, quod neque pater aliquis neque magister nobis est appellandus in terris: « et patrem — inquit — nolite vocare vobis super terram; unus est enim pater vester, qui in coelis est: nec vocemini magistri, quia magister vester unus est Christus ». At pontifices Romani, ut noverimus quam sint dicto Christi audientes, non modo patres sese, sed patres sanctissimos et beatissimos instituerunt appellari. Ab hominibus, inquit, non sumus iudicandi nos, de quibus est scriptum: « Deus stetit in synagoga Deorum; in medio autem Deus iudicat » et, « ego dixi, — Dii estis — ». Impudentia secunda haec est pontificum Romanorum; ut quod ad omnes Christi fideles attinet, episcopis unis dent. Nam istud ipsum, « ego dixi — Dii estis et filii excelsi omnes — », Augustinus et caeteri interpretes de Christi fidelibus omnibus aequè asserunt dictum, de quibus illud, « dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius »; et, ne multis morer, Christus ipse aperit, « ego dixi, — Dii estis — ». « Deos — inquit — appellat omnes, ad quos sermo Dei factus est ». Huic simile illud est, <sup>1</sup> nolite tangere Christos meos, et in prophetis meis nolite malignari<sup>2</sup>. Id de omnibus Christi fidelibus aequè dictum est, qui videntes, qui servi Dei, filii Abraham, et filii Iacob electi dicuntur, quod ipsimet pontifices liquidissime videbunt, si non unum aut alterum psalmi versum, sed psalmum omnem legent, in quo haec habentur, « semen Abraham, servi eius, filii Iacob electi eius, nos autem — inquit apostolus — secundum Isaac promissionis filii sumus ». In quem errorem turpiter saepissime sunt lapsi, quod, ut in principio prope querebar, luci evangelicae offusis tenebris de unctione Spiritus sancti, reiecerunt se in umbras iudaicas. Christi enim dicuntur omnes, qui credunt in unigenitum Dei, quod de fidelibus testatur Iohannes, « vos unctionem habetis a sancto ». Hinc uncti vocamur, hinc Christi omnes a propheta, hinc regale sacerdotium ab apostolo, non quod unctione exteriori quadam perunctum caput



haberemus aut aliud, sicuti sacerdotes illi veteres, quibus id contingebat in umbris, ut nos ipsi praefiguraremur, sed unctione quadam interiore spiritus, ex qua Spiritus sancti opera prodeunt, quam qui non habent, non possunt intelligere, non ut haberemus linostimas Zosimi, aut Sotheri pallam et consecrata vestimenta pontificum, stolasque levitarum, sed corpora munda et sanctificata, vel purum coelibatum vel legitimum matrimonii ius servantes in castitate et sinceritate, vasa misericordiae impoluta, scientes quia corpora nostra membra sunt Christi, membra nostra templum sunt Spiritus sancti, qui in nobis est, quem habemus a Deo. Omnes igitur, qui per Spiritum sanctum credimus in unigenitum Dei, Christi appellamur, quod unctionem habemus a sancto, baptizati spiritu Dei, ut ex nobis Christi corpus sit, quae ecclesia sancta appellatur, in qua licet necesse sit esse quosdam spectatae integritatis homines et probatae vitae, quales proponit apostolus ad diaconatus et episcopatus gerendos, vel ob praedicandum verbum Dei, vel ob egestates sanctorum sublevandas: ii quamquam a nobis colendi et observandi sunt, non tamen pro eis magis id dictum, « nolite tangere Christos meos », quam pro quovis eorum, de quibus Dominus, « quidquid fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis ». De his nunc dicit per prophetam: « Qui vos tetigerit, tanget pupillam oculi mei ». Qui sensus cuique erit apertissimus, qui, quae praedicta sint, quae contigerint, animadverteret. Sine muro praedixit futuram « Hierusalem, quod est, ecclesiam », hoc est, sanctos Christi fideles, nudatam auxilio, quod accidit martyrum tempore; quos, ut ibi minatur propheta, mirabiliter ultus est Deus, gente scilicet illa Romana, quae saeviebat in Christos, illa orbis domina deleta, urbe direpta atque incensa, occupata omni Italia, imperio amisso. Annon huc illa omnia spectant? « Nolite tangere Christos meos, et in prophetis meis nolite malignari. Et qui tetigerit vos, tanget pupillam oculi mei ».

Perge, ut quae res secutae sint cognoscamus. « Quia ecce ego levo manum meam super eos, et erunt praedae his, qui serviebant sibi ». Haec propheta, quae de Christis Domini, hoc est, Christi fidelibus dicta sunt, qui fortiter ceciderunt et in suppliciis

mortui sunt pro testimonio Christo dando; quos mirabiliter ultus est Deus et pater Domini nostri Iesu Christi. Quae si perpende-  
rent quidam consultores magnorum principum, non usque adeo inflammarent reges et nationes in defensores evangelii. Meminerint, meminerint, quod polliceatur Deus is, qui aufert spiritus principum, terribilis apud omnes reges terrae, etsi nos minimi eius servi sumus, pollicetur correpturum se pro nobis reges, vocaturum famem super terram et omne firmamentum contriturum. Sed ego me ad Christi pedes abiicio, cui servio in spiritu, ad quem levo manus meas. Aliud, quo nituntur firmare eorum decreta pontifices, est quod dixerit Dominus, « qui vos audit me audit et qui vos spernit me spernit ». Constat hoc a Christo apostolis esse dictum, per quos Dominus multa erat instituturus, quibus propterea recepit se missurum Spiritum sanctum. « Ille — inquit — suggeret quaecumque dixi vobis: qui ergo vos audit, me audit, quis vos vestraque instituta spernit, me spernit. Quem sensum declarat Paulus dicens: « qui haec spernit, non hominem spernit, sed Deum ». Viderint iam pontifices Romani, qui nihil magis curarunt, quam ut traditionibus suis instituta apostolorum tollerentur, quos spreverint, Paulumne et Petrum an Christum ipsum? Quae sunt hominum ingenia, discite iam, qui interpretentur scripturas, volunt hoc dictum sic exponi, « qui vos pontifices audit, me audit, qui vos pontifices spernit, me spernit, » et non « qui vos apostolos spernit, me spernit », et tamen ad apostolos sciunt hoc dictum a Domino: primum ergo ad apostolos attinet, deinde ad eos, quorum typum gerebant apostoli; gerebant autem typum vere fidelium. Quomodo vero fideles isti esse potuerunt, qui hoc ipsum dictum, quod tanti faciendum putant, nihili fecerunt? nonne ipsismet iudicibus iudicati sunt? Si Christus dixit apostolis, « qui vos spernit, me spernit », cur praetulerunt prudentiam suam inanem institutionibus apostolorum, ita ut abrogatis apostolicis institutis suas traditiones servari mandarint? vel non hoc est spernere apostolos? Sporni apostolos dicunt, si pontificibus palatia et episcopis praeclarae aedes non exaedificentur, si vectigalia fiant deteriora aut de censu dematur, quo minus in vestibis preciosis

incedant gloriosi minusque in auro bibant; sperni mirum in modum apostolos, si praeter magnos census, quos sunt aucupati iam multis saeculis, decimae non persolvantur aut impediuntur; sperni item si quis commonstret et clamet cavendas decipulas indulgentiarum, quibus nullus est tam custoditus nummus, quem non intercipient. Quae omnia quam sint apostolica, iam omnes norunt.

Sed ego redeo ad commentum illud episcoporum, ne accusentur. « Si enim sine crimine sacerdos eligi praecipitur, nullatenus ab hominibus criminibus irretitus accusari et calumniari permittitur ». Hoc si verum est, non modo accusatorem sed nec sacerdotem (excipio semper Christum, « qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius », qui verissimus est sacerdos) habebimus. Quis enim est sine crimine? At quod Paulus dicit, « oportet episcopum esse irreprehensibilem », intellige tu virum bonum, qui homo esse possit: « vere enim bonus solus est Deus ». Ita et accusatores, si viri boni sint, erunt magis idonei. Nam fac esse, quod vir aliquis simulator ac dissimulator pulchre se continuerit, tantisper dum in episcopatum proveheretur, deinde ad ingenium redeat, non est ex praecepto Christi commonendus fraterne? Si malus esse non desinet, adhibito teste non est arguendus? Si tandem non audierit, non est accusandus apud ecclesiam seniorum aut praefectum ecclesiae? Nam quod Paulus dixerit, « accusationem adversus presbyterum noli recipere nisi sub duobus aut tribus testibus », non dixit, non esse recipiendam, sed duobus aut tribus testibus asserentibus esse recipiendam. Quod Evaristus adfert, non convenit episcopis, qui non ad ferendum gladium, ut principes terrae, sed ut exemplar vitae spiritualis, speculum religionis, observatores evangelii esse debent. Ii, si opinionem fallunt, cogendi sunt ab ecclesia sancta, ut episcopatu se abdicent, aliique meliores instituantur; si fures, si parricidae fuerint poenis adficiantur, quae civilibus legibus proponuntur. Quod fieri non potest, nisi quod vulnus imperatores et reges fecerunt, imperatores et reges sanent, ut privilegia nulla sint, quae commune bonum impediunt, et magnis divitiis et regnis auctos episcopos in infinita potestate et summa copia rerum omnium in eum

statum redigant, ut vere iam episcopi neque dominationes neque regna quaerant, sed mediocri censu contenti tranquillam et quietam vitam sequantur. Id cum ipsis optamus, optamus etiam, ut vere beati sint. Quod si recusarint, cogantur ut dicto apostoli sint audientes: « habentes alimenta et quibus tegamur his contenti simus; nam qui — inquit — volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quae mergunt homines in interitum et perditionem ». Quam sententiam divinitus scriptam Carthaginense concilium secutum decrevit, « ut episcopus vilem suppellectilem et mensam, et victum pauperem habeat et dignitatis suae auctoritatem fide et vitae meritis quaerat ». Et rursus « ut episcopus nullam rei familiaris curam ad se revocet, sed ut lectioni et orationi et verbo praedicationis tantummodo vacet ». Non impediet hic me, pontifices et collegae pontificii, vestrum inimicum edictum, quo declarastis, « haeticos esse habendos omnes, qui adfirmarent Christum eiusque discipulos nihil privatim habuisse; in ignem esse coniciendos omnes, qui adfirmarent ipsis discipulis vendendi, donandi, testandi, acquirendi, suoapte ingenio ius non competere ». Quorsum hae minae spectent, principes isti etiam considerabunt. Ne in me declamate, pontifices; minitamini ista mitratis vestris et iis, qui procurvaverunt genua sua ante Baal. Ego, non modo his principibus audientibus et universo populo, sed Christo ipso, qui coelum incolit, dicam, apostolos non modo integritate vitae sed etiam patientia paupertatis fuisse ornatos; Christum non modo pauperem fuisse, sed hac voce veluti propria appellatum in *Psalms*, cuius denique vox est: « vulpes foveas habent, et volucres coeli nidos, filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet ». Quod vero simuletis ad Christum, ad apostolos magis quam ad vos ipsos haec regna, hos census pertinere, id non sat scio; ad fratrum filios, ad spurios adolescentes quosdam, et minime sobrias mulieres spectasse, persaepe historiae ipsae testantur.

Illud vero periniquum omnino et non ferendum, quod cum summa avaritia et incredibili cupiditate pontificum infinita potestas coniuncta est. Saepissime enim, quidquid mali habuit

Italia, quidquid calamitatis ex incendiis bellorum christiana respublica accepit, id omne a pontificibus Romanis est conflatum. Quod si in ea felici quidem paupertate, quam apostolus instituit Tito, non recedere episcopos iussissent pii principes, qui cupidos homines imprudenter in opulentiam coniecere, minus aliquando laboravisset, plus laudatae pietatis haberet ecclesia. Sapientissimi imperatores cum in hibernis legiones collocant, si qua oppida contingant, quae bonitate agrorum et rerum affluentia excellant, nonnihil verentur, ne invictos militum animos et dura corpora eorum, qui a pueritia sub pellibus stare et vigilare noctes et gravissima quaeque perpeti sunt adsueti, copia corrumpat et lascivia molliat: et nos otiosis istis dubitabimus, an immensi census, regiae divitiae, peramoeni fundi, voluptuaria domicilia periculum crearint? Quos constat millies a regionibus officii et continentiae abductos, abducendosque semper, nisi modum aliquem licentiae potestatique eorum feceritis vos, principes, in quibus habitat spiritus Dei. Nam maiores vestri eo privilegia, regna et census ingentes iis concesserunt, ut ecclesiae Dei bono essent. Id cum vos falsum esse comperiat, antiquare privilegia, aliquid instituere potestis, quo census illi ecclesiae bono sint. Administratores ecclesiae dicunt se esse episcopi. Sint sane. At si abusi sunt ea administratione sexagies septies, coactis saepe conciliis statutum est, ne abutantur, si rursus ac rursus ad vomitum, quousque tandem haec patientia, principes? Statuite, ut censores quidam annui per civitates deligantur, qui a praefectis ecclesiae rationem reposcant administrationis, ne praeter alimenta et honestum vestitum quidquam habeant. Ex fructibus, quae supersunt, ut monet Christus, elemosynam dent, scripturae sanctae interpretes, evangelii praedicatores alant: censuum rationes in tabulis publicis accepti et expensi conscribantur adserventurque apud seniores non sacrificulos, et salios praecentores, et succentores quosdam collegas episcopi, sed apud senatum et eos, qui ad reipublicae gubernacula sedeant: ii a censoribus accipiant rationes, animadvertantque, ne in praefectorum affines erogata pecunia sit, censusque male effusi. Quod si episcopi culpa factum esse compererint, advocata plebe sancta, decernatur, ne

teruncium posthac attingat episcopus is, praeter victum et vestitum, et, si ad regendam ecclesiam non sit aptus, de gradu deiciatur et privatus esto. Electionis formula de episcopo et praefectis ecclesiae per suffragia populi constituendis ea semper mihi visa est optima, quam legimus apud Augustinum de creatione Eradii. Eam ut perpendatis, orat vos servus Iesu Christi. Nam ut omnia ad episcopum unum aliquem deferantur, non est ferendum. Omnes iam intelligimus his artibus tyrannum ecclesiis esse quaesitum, ut iis, qui gratia plurimum possent, veluti Alexander aliquis regna suis commilitonibus, divideret. Verisimilius est civitates ipsas melius sibi malle, quam quemvis alium exteris. De piis hospitibus nihil dico, quae praeter mentem eorum, qui iis exaedificatis testamentum fecerunt, neque parvulos alunt, neque egentes excipiunt, neque misere aegrotantibus subsidio sunt, consciis pontificibus (nihil excusent, consciis, inquam, pontificibus); quae hospitia opera pontificum praeter mentem mandatumque eorum, qui exaedificarunt, curatoribus reiectis atque exclusis, unicipiam serviunt, adsignata saepe homini, qui involet unguibus in oculos Christi, qui hauriat sanguinem innocentum. A quo adsignata sint nolite quaerere. Quid creditis? Ab hoc ipso tyranno humanorum et divinorum, Babyloniae rege, Antichristo Romano, qui non modo vivis hominibus sed etiam mortuis vim adfert, quem Deus propediem ulciscetur probe, quando ita loquitur: « Ecce ego ad te mons pestifer, qui corrumpis universam terram ». Quo iure, pontifex Romane, in testamenta sanctorum manus intulisti? Quia hoc libet, licet. Id tu non modo his gentium dominis, sed ne assentatoribus tuis, quibus stipatus sedes, pileo ad servitutem coemptis, probaturum te esse arbitror.

Magna sunt, incredibilia, infinita caetera, quibus iste iura humana atque divina confundens perturbavit atque permiscuit omnem rempublicam Christi, cuius vos moderatores esse et duces par est, principes, in quibus habitat spiritus Dei. Neque vos deterreant quidam, qui, ut ait apostolus, « aberrantes sunt conversi in vaniloquium, volentes esse legis doctores, non intelligentes, neque quae loquuntur, neque de quibus adfirmant ». Ii dolo malo inculcant, cavendum omnino vobis, ne in animum

cadat ad vos attinere curam rerum ecclesiasticarum, quod sacerdotibus solis id muneris sit adsignatum, ut arcam Domini deportent. Hic commemorant Ozam quendam inclinatam arcam sustinere volentem misere periisse, quod is sacerdos non esset. At vero parietes istos dealbatos si quis roget, qui fuerit iste Oza, num e sacerdotio regali et sancto pius aliquis imperator, num rex, num populi princeps et dux, quem vobis ita proponant, quid respondebunt? Si quis postea roget, quis eduxit de Aegypto populum Dei? respondeant necesse est, non sacerdos aliquis, sed Moyses ipse dux et imperator populi. Quis, ut multa praeteream, declaravit ac consecravit Aaronem et sacerdotes caeteros, nisi imperator populi Moyses? quis praecepta Dei proposuit servanda? quis ritus et solemnitates instituit? quis arcae isti primum ex voluntate Dei formandae praefuit nisi Moyses cum imperio? Quis postea arcam foederis istam recte exportari iussit sacerdotibus? annon Iosue, filius Nun, dux exercitus Israëlitum? cui Dominus inquit, « tu autem praecipe sacerdotibus, qui portant arcam foederis ». Quis arcam Dei neglectam a sacerdotibus reduxit? nempe David, rex bonus, pius et felix. Quis arcam istam in templo et sancto sanctorum collocavit? nonne Salomon summa et admirabili sapientia rex cum optimis principibus? Quamobrem si arca ista ecclesiam significat, qui melius praeerunt, ut ea ad voluntatem Dei conformetur? qui praecipient, ut plastro verbi Dei vehatur per sacerdotes? quorum est officium, ut curent, ut a sacerdotibus diu neglecta reducatur? in qua impuri quidam Ozae, non uncti Spiritu sancto, arrogantes contemptores praecepti Dei, dum arcam sustinere volunt, ipsi cadant: quorum tandem est in illustri loco et sancto collocare arcam istam, ut quiescat, nisi magnorum imperatorum, sanctorum regum, invictorum principum, in quibus habitat spiritus Dei? Quibus vero magni principes id oneris imponent, ut arca comportetur? num Ophni et Phineae, aut iis qui Domino ignem alienum offerunt? minime: at e populo acquisitionis, ex regali sacerdotio, e gente sancta delectis viris, qui, si per vos nunc liceat, principes, neglectam iam diu ab impiis sacerdotibus tandem pulcherrime reducent et in loco illustri et sancto collocabunt ecclesiam Dei.



## RECITA CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

Non modo non haereticos sed pios esse eos, qui firmiter crediderint, ecclesiam Dei esse aedificatam super petram Christum. Hanc opinionem si secuti fuissent episcopi Romani, minus haberemus abusuum et abominationum. Freti enim ea opinione, quod super petram, hoc est, Petrum, et, ut ipsi deducunt, super pontifices Romanos et eorum doctrinam aedificata sit ecclesia Dei, in quae non manus intulerunt? quid non sibi licere putarunt? ut scriptura impleretur, «arrogantia tua decepit te, et superbia cordis tui, qui habitas in cavernis petrae, et adprehendere niteris altitudinem collis. Grex perditus factus est populus meus, pastores eorum seduxerunt eos».

## Declaratio testimonii XVII.

Qui ad unum pontificem Romanum omnia deferunt, et verbo quidem episcopum, re vero in gentes et nationes, in Caesares et reges principesque universos, tyrannum constituunt, hoc in primis argumento instant, quod Petro uni sit dictum a Domino: «Tibi dico: tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam». Consulto nunc praetermittam responsa doctissimorum hominum, qui non ex his paucis verbis sed ex toto capite evangelii sensum Domini colligendum sapienter monent. Dominus enim, cum haud unum Petrum, sed omnes apostolos interrogasset: «Vos autem quem esse dicitis?» — pro omnibus respondit Petrus veluti os quoddam apostolorum: «Tu es Christus filius Dei vivi». Hoc sive responsum, sive confessio, si una est omnium apostolorum, immo vero fidelium omnium, et propterea ecclesiae totius sanctae, non uni Petro, sed apostolis omnibus



universisque fidelibus et toti ecclesiae, cuius typum gerebat Petrus, dictum est, quod sequitur: quod vel ex eo ipso adversarios etiam concedere necesse est, quod promissa quaedam ingentia ex confessione illa non negant ad omnes apostolos attinuisse; et nunc ad omnes episcopos et caeteros, qui per civitates presbyteri constituti sunt, attinere asserunt atque adfirmant. Quae sunt ista promissa? « Et tibi dabo claves regni coelorum ». Quae sunt istae claves? obsecro, ne quid anile aut superstitiosum cogitemus, ferreas aut argenteas aut aureas fuisse claves, sed potestatem illam, quae his verbis declarata est, « et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis, et quidquid solveris super terram, erit solutum et in coelis ». Annon hanc eandem potestatem dedit omnibus apostolis dicens: « Amen dico vobis, quaecumque ligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo, et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo »? At ibi in coelis dixit, hic in coelo. Ridicula haec sunt, quasi de eodem non dicatur a propheta: « Deus autem noster in coelo est et qui habitat in coelis irridebit eos ». Pudet me tam frigidarum commentationum. At Petro dixit: « et tibi dabo claves regni coelorum ». Rogo rursus, quae sunt istae claves? An aliud quam Spiritus sanctus, per quem fores coeli aperiuntur et clauduntur hominibus, quod dimittendo peccata solvuntur, retinendo ligantur homines? Quamobrem claves dat Dominus dicens: « Accipite Spiritum sanctum, quorumcumque remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorumcumque retinueritis, retenta sunt ». Quae si verissima sunt, desinant iam opponere nomina scriptorum, ex quibus sumunt, super petram, hoc est, super Petrum aedificatam ecclesiam Dei. Nam ex altera parte stant auctores vel nobilissimi, quos summis laudibus celebravit ipsa etiam ecclesia Romana, et declaravit primarios, qui saepius meminerunt, ecclesiam Dei super petram Christum aedificatam esse. Quae expositio magis cum praedictionibus prophetarum quadrat, qui Petrum Christum non semel appellarunt, et Pauli sententiae consona est, qui fundamentum et petram Christum esse, scriptis illustravit suis. Age vero, quid inquit Augustinus: « Quando Petro est dictum, tibi dabo claves regni coelorum,

et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis, universam significabat ecclesiam, quae fundata est super petram, unde et Petrus nomen accepit. Non enim a Petro petra, sicut non Christus a christiano sed christianus a Christo vocatur ». Itaque non magis significat Petrus episcopos Romanos, quam caeteros, immo vero quam omnes fideles, qui sunt Christi. Quid ergo tument? quid inaniter inflantur pontifices Romani? tamquam firmissimum esset quod magnorum auctorum interpretatione necesse est vel aliter accipi, vel haberi pro infirmo.

Quamobrem inquit Augustinus: « Si bonus es, si ad Christi corpus pertines, quod significat Petrus, habes Christum in praesenti et futuro ». Et in libro *de agone christiano* inquit: « Cum Petro dicitur ‘amas me, pasce oves meas’, ad omnes dicitur ». Quid id est? « Cum Petro dicitur ‘pasce oves meas’, ad omnes dicitur ». Quam vellem haec legissent, qui uni Petro hoc asserunt fuisse dictum, veluti ex promisso singulari. Quod si omnibus fidelibus est dictum, nemo dubitarit, multa sibi unis arrogasse pontifices Romanos vel temere vel imprudenter. Accedat testimonium Origenis antiquissimi scriptoris. Quod Simon Petrus respondens dixit: « tu es Christus, filius Dei vivi », si dixerimus quemadmodum dixit Petrus, non a carne et sanguine nobis revelatum est, sed a luce, quae illuxit cordi nostro a patre, qui est in coelis, et tamquam non accepta huiusmodi revelatione a carne et sanguine sed luce cordi nostro illucescente a patre, qui est in coelis, efficimur Petrus, et dicetur, quod hunc sermonem sequitur: « Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et portae inferi non praevalent adversus eam, et tibi dabo claves regni coelorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum, quodcumque solveris, erit solutum in coelis ». Haec si a pontificiis hominibus fuissent perpensa, nunquam eorum assentationibus tumuissent Caiphae Romani. Augustini verba sunt, « ideo quippe ait Dominus ‘super hanc petram aedificabo ecclesiam meam’ quia dixerat Petrus, ‘tu es Christus, filius Dei vivi’ super hanc ergo, inquit, petram, quam confessus est, aedificabo ecclesiam meam. Petra autem erat Christus, super

quod fundamentum etiam ipse aedificatus est Petrus. Fundamentum quippe aliud nemo potest ponere praeter id, quod positum est, quod est Christus Iesus ». Haec Augustinus, quae sexcentis locis confirmat, ac probat. Quod sicubi aliter est interpretatus, hanc tamen propriam Augustini sententiam fuisse, nemo est, qui in eius scriptis versetur, qui nesciat. Quae si impia est, impius est Augustinus; si pia, omnes pii, qui eam sequuntur. At vero impia esse non potest, quae ex prophetis et apostolis desumpta est: qua in re ut notissima nihil morabor. Hilarius etiam inter antiquos scriptores laudatissimus interpres minime super Petrum aedificatam esse ecclesiam Dei contendit, sed super fidei petram illam et confessionem ingenuam de Christo, quam confessus est Petrus, ita ut sententiam prophetarum, apostolorum, Augustini, caeterorumque fidelium prope scriptorum complectatur, ecclesiam Dei ex his constitui, qui eam fidem habuerint, quam habuit et confessus est Petrus. Qua de re inquit: « Unum igitur hoc est immobile fundamentum, una haec est felix fidei petra, Petri ore confessa: tu es Christus filius Dei vivi ». Et alibi: « super hanc igitur confessionis petram ecclesiae aedificatio est, haec fides ecclesiae est fundamentum, per hanc fidem infirmae adversus eam sunt portae inferorum, haec fides regni coelestis habet claves, haec fides, quae in terris solverit aut ligaverit, ligata sunt in coelis et soluta ». Theophilactus item ait: « Quia enim confessus erat eum Dei filium Petrus, dixit quod haec confessio, quam confessus es, fundamentum erit futurum credentium ». Et Cyrillus inquit: « Per petram aliud nihil quam inconcussam et firmissimam discipuli fidem vocavit, in qua ecclesia Christi fundata et firmata esset, ut non laberetur et esset inexpugnabilis inferorum portis in perpetuum manens ». Quae quoniam magnorum auctorum sunt, et ad prophetarum et apostolorum sensum proxime accedunt, si iam, ut coeptum est, illustrentur, quid fiet ampullis et inani illa verborum volubilitate, quae frequentissima est in decretis? Ex quibus, ut infinita prope omittam, recensebo quod ad orientales episcopos rescribit papa quidam. Vos interea videte tumorem verborum, perpendite levitatem. « Decuerat vos adversus

sanctam Romanam ecclesiam et apostolicam limate et non ironice loqui; quoniam et ipse Dominus noster Iesus Christus eam decenter allocutus ait: tu es Petrus et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et portae inferi non praevalent adversus eam ». Et insolenter Siritius: « Hactenus erratum in hac parte sufficiat: nunc praefatam regulam omnes teneant, qui nolunt ab apostolicae petrae, super quam Christus universalem construxit ecclesiam, soliditate divelli ». Et Leo in decretis: « non solvitur vel ligatur, nisi quod auctoritas beati Petri solverit et ligaverit ». Quasi vero ligandi et solvendi potestatem caeteri apostoli non acceperint a Domino.

Huiusmodi bullis praemunierunt omnia prope eorum decreta, maxime vero, cum in synodos, episcopos, provincias, Caesares et reges fulminare se dixerunt. Huiusmodi ampullas proiecerunt, cum perturbarunt iura humana atque divina, quibus elati cum aliquid statuerent, non putarunt sibi esse perpendenda scripta illa divinitus, ne quid imprudenter eorum scriptorum aliquid rescinderent aut infirmarent, ne quid diversum docerent atque instituerent; quin omni cogitatione conversi tantum sunt ad verba illa, quasi aliam interpretationem non possent recipere, « super hanc petram aedificabo ecclesiam meam ». Quamobrem arrogantia, ut praedictum erat per prophetam, verissime decepit eos. Putarunt enim omnia sibi licere, sese unos errare non posse, quidquid statuerent merum esse evangelium, in ipsis esse omnia; unum esse videndum, an ecclesia Romana statuisset, nefas esse postea dubitare, an firmum esset et sanctum, quod illa statuisset, in ipsos coniciendos esse oculos atque animos omnium, qui aperire et claudere quibusvis coelum possent. Quamobrem traditionibus latis poenas etiam minaciter addiderunt, ut verbis etiam videamus, quantum intersit inter moderationem et humanitatem christianorum et superbiam crudelitatemque pontificum, quibus pietas est mitram ad ignominiam imponere, colligare manus, virgas expedire, detrudere in ignem. At certe hanc pietatem a Christo non didicerunt, cuius tamen vicem sese agere dicunt in terris, immo vero se caput ecclesiae esse: quas appellationes vindicare sibi aliquem episcopum an tulissent ii, qui in concilio

caverunt, « ne quis summus sacerdos aut princeps sacerdotum appellaretur, aut aliquid huiusmodi », iudicate vos ipsi, in quibus habitat spiritus Dei. Nam quid est? « aut aliquid huiusmodi ». His enim appellationibus arrogantia alitur, superbia effertur, abusus versantur in religione, ita ut iis initiis non modo interpretationes ex scriptura assentatoriae extortae sint, sed, ut alia missa faciam, quamvis Paulus et Petrus sermone et exemplo docuissent non esse ferendas, procedentibus tamen saeculis adorationes veluti Dii quidam statuerunt sibi pontifices Romani.

## RECITA CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

Quoniam aliqui non contemnendi auctores asseruerunt, ecclesiam Dei aedificatam super petram Petrum, nihil ex ea re plus habere pontifices Romanos, quam caeteros episcopos, qui non habent ea, ob quae amanter dicta sunt illa Petro; cuius vitae exempla, quae ex actis apostolorum colliguntur, ita minime sunt imitati: doctrinam vero, quae ex apostoli huius scriptis habetur, ita passim Romani pontifices proculcaverunt et everterunt, ut Petri eversores potius, quam successores sint appellandi. « Per quos — inquit apostolus Petrus — via veritatis blasphemabitur, et in avaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur ».

## Declaratio testimonii XVIII.

Firma assertio ea esse non potest, quae ex interpretatione sumitur alicuius loci, quem primarii doctissimi et antiquissimi viri varie sunt interpretati. Nam quod testimonium perhonorificum mille et centum continuos annos ecclesia Romana dedit Augustino, quod summis laudibus Hilarium, Cyrillum et reliquos celebravit, quos praediximus, reicere pontifices Romani non possunt auctoritatem tantorum virorum. Quod si ex altera parte Cyprianum et quosdam sibi allegant, qui de petra locum aliter sunt interpretati, nihilo plus agent, quam ut nostra quoque assertio non sit firma. Fiet ergo, ut quod nobis non dent, neque ipsi adsequantur. At vero illud est consecrarium, si infirmum est fundamentum, supra quod tantam superbiae fastusque molem pontifices erexerunt, omne eorum aedificium corruat necesse est. Remittant igitur iam spiritus atque animos illos, sedent arrogantiam, intelligant se esse episcopos aequae atque alios; qui si boni, si pii fuerint, dignissimi sunt, ut eos colamus et

observemus: at si mali, si impii, norint sese ad Christi petram nihil plus attinere quam Iudam, per quem typum mali episcopi sunt significati. Nam quod Petri sedem dicunt se obtinere, quid existimant homines imperitissimi? regnumne fuisse illud Petri? aut tyrannidem? Sic enim disputant de primatu Petri, quasi regnum aliquod terrenum obtinuerit is, cuius ipsi sint legitimi haeredes et successores. At non ita est. Reverentia observantiaque illa apostolorum iustissimis de causis fuit profecta, ob amorem Petri in Christum, qui omni ex parte se ostendebat, ob fidei firmitudinem, quod is vel ante omnes vel pro omnibus confessus est, Christum esse filium Dei, tum ob charitatem egregiam, laboribus ultro susceptis pro pascendis ovibus Christi: quae omnia in illo fuere singularia. Haec si in episcopo non sint, ex quibus nascitur propensio animorum, observantia esse non potest, quam isti primatum appellant. In quo episcopo haec sunt, ad hunc omnia illa arbitror attinere, quae dicta sunt Petro. Quo quis vita erit candidior, quo in pascendis ovibus Christi studiosior, eo apud vere pios reverentia et observatione erit dignior; non quia Romae sit magis quam Antiochiae, aut Hierosolymitanae ecclesiae episcopus et non Massiliensis. Nam quod locorum acceptorem faciant Christum, est porro indignissimum, cum eius spiritus doceat, non esse personarum. Metiri ergo oportet, viri principes, dignitatem episcoporum non ex loco sed ex vita et actis, in quibus eluceant dona illa Spiritus sancti, quod et ipsi aliquando verbis non re celebraverunt. Nam quid illud est? « non sanctorum filii sunt, qui tenent loca sanctorum, sed qui exercent opera eorum ». Et alibi, « morum nobilitas, non loci, non generis, sacerdotes notificet ». Et « non loca vel ordines, sed merita Deo coniungunt ». Quomodo vero Paulus probat, se non minorem esse magnis apostolis? obsecro, animadvertite. « Hebraei — inquit — sunt; et ego: Israëlitaee sunt; et ego: semen Abrahae sunt; et ego: ministri Christi sunt; et ego. At plus ego in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, a Iudaeis quinquies quadragenas una minus accepi, ter virgis caesus sum, semel lapidatus sum, in labore et aerumna, in vigiliis multis, in fame et siti, in ieiuniis

multis, in frigore et nuditate: instantia mihi quotidiana est et sollicitudo omnium ecclesiarum ». His privilegiis agere oportet episcopum, qui Petri, qui Pauli personam velit agere, non ex loco, quod Romae sedeat. Loci superbiam crediderim ego semper odio fuisse unigenito Dei. Nam quid est, quod Bethleem in praesepio rusticano, non Hierusalem, non Romae, quae tum gentibus et nationibus imperitabat, nasci voluit? Periniquum est, causas veras primatus et dignitatis episcoporum praeterire, et eas celebrare, quae inanes sunt et odiosae etiam apud Christum.

Si cui vestrum, principes, illud placet, quod uni Petro quaedam sint promissa et adsignata magis quam caeteris apostolis, non contendam vobiscum. Sed illud obsecro (quod libenter arbitror vos esse facturos) ut cogitatis, quam ob rem promissa illa sint atque adsignata Petri nomine. Si Hilario creditis, « quod fide — inquit — Petrus caeteros anteivit ». Si Augustino, « quod Petrus — inquit — plus aliis dilexerit Christum ». Sed nos haec ipsa ex verbis evangelii sumamus: « Dicit Simoni Petro Iesus: — Simon Iohannis, diligis me plus his? — Dicit ei: — Etiam, Domine, tu scis, quia amo te. — Dicit ei: — Pasce agnos meos. — Dicit ei iterum: — Simon Iohannis diligis me? — Ait illi: — Etiam, Domine, tu scis, quia amo te — Dicit ei: — Pasce agnos meos. — Dicit ei tertio: — Simon Iohannis, amas me? — Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio « amas me » et dixit ei: — Domine, tu omnia scis, quia amo te; — dicit ei: — Pasce oves meas — ». Quid primum rogat? an plus aliis diligat. Quid secundo? quid tertio? de dilectione. Obsecro vos, principes, in quibus habitat spiritus Dei, ne sapientiam Dei, Christum, inaniter frustra que hoc toties petere atque iterare existimetis. Docet hic vos sapientia Dei, Christus, non acceptorem esse loci aut personarum se, neque alio moveri quam dilectione erga se mirifica, ut alicui committat, ut pascat agnos et oves suas, quas neque Petro credidisset, nisi re cognita et explorata, quod plus caeteris amaret. Nam quid sic rogabat is, qui omnia novit, quasi haec ignoraret? Norat ille quidem omnia, sed vobis rogabat, principes, qui probaturi episcopos aliquando eratis: plebi sanctae rogabat, quae in episcopos



aliquos erat delectura; nobis rogabat, ut dignosceremus pseudopetros istos, qui multis iam saeculis gloriam Christi, salutem gentium et nationum, miserum in modum oppugnaverunt, qui plus vastitatis evangelio et institutis apostolorum attulerunt, quam una reliqui hostes Christi, et tamen audaces ita sunt, ut pro ipsis dictum asserant, « pasce agnos, pasce oves meas ». Quibus verbis temere elati atque inflati non intelligunt, non eos se esse, quos ecclesiae suae promisit Deus per Ieremiam, « dabo vobis pastores iuxta cor meum, et pascent vos scientia et doctrina ». Num iis vos pastores estis, pontifices? Existimate interea, principibus optimis praesentibus, respondere, qui probe norunt, quidquid aliquando mali reges viderunt; quidquid incommodi ex bellorum incendiis acceperunt imperatores; quidquid sollicitudinis ac negotii habuit ecclesia Christi, a certis quibusdam hominibus aliquando fuisse conflatum. In quos si animadvertetur, non propterea minuetur gloria apostoli, immo vero augebitur, explosis pseudoepiscopis, et constitutis veris episcopis, in quibus evangelica puritas et apostolica ornamenta eluceant, et caetera, quae habuit Petrus, quibus cum, pontifices Romani, careatis, audite, quamecantilenam ad aures insusurret vobis Origenes. « Quoniam qui episcoporum locum sibi vindicant, utuntur eo dicto sicut Petrus; dicendum est, illos recte loqui, si pariter facta habuerint, ob quae dictum est illi, qui erat Petrus, ' tu es Petrus et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam ' ; sique tales fuerint, ut a Christo super eos aedificetur ecclesia, et ad eos iure referri possit. Porro si quis, cum haud sit nec habeat, quae dicta sunt, sicuti habuit Petrus, credit, se ligaturum in terra, ut quae ligaverit, ligata sint et in coelis, ac se soluturum super terram, ut quae solverit, soluta sint et in coelis; hic inflatus est, non intelligens, quid sibi velint scripturae, et tumefactus incidit in diaboli ruinam ». Haec Origenes. Quae si perpendissetis, pontifices, aequae ac laudationes quorundam, qui vos unos voluerunt esse omnia, et in officio fortasse manere et pascere oves Christi aliquando didicissetis. Nunc cum verbis illi vos suis infatuarint, obiurgari patiamini, si iure. — In cathedra Moysis, inquit, sederunt

scribae et pharisaei; quaecumque illi dicunt, servate et facite. — Remitto ego hos ad Theophilactum praeclare docentem, quid sit in cathedra Moysis sedere. Ex eo nunc tantum sumam simile quoddam. In cathedra Petri sedent ii tantum, qui non iugum revehendum, sed ea docent, quae docuit Petrus, et quoniam super Petrum et eius successores ecclesiam Dei aliqui aedificatam contendunt, nolo esse contentiosus, quod alias non concederem. Hic, quia omnibus modis possum vincere, concedam, si unum, quod per se est verissimum, mihi dabitur, successores Petri non esse veluti regum, principumque filios, regni cuiusdam terreni successores, sed spirituales potius ac sanctos, hoc est, ut ii fide in primis firma et dilectione praecipua sint in Dominum nostrum Iesum Christum, qua fuit Petrus, et qui Petri doctrinam et instituta tamquam ex successione alant, sustineant ac tueantur. Si quis Petri doctrinam reiecerit, si quis ab apostolo desciverit, et eius instituta sustulerit de medio, Petri successor non sit, non appelletur; fateantur omnes hunc, quique sit, qui a Petro recesserit, ad ecclesiam, quae super Petrum aedificata est, nihil attinere; hunc Iudam, pseudopetrum et Antichristum, liceat bonae cum venia vestra appellare, pontifices. Iudicate vos, an aequa postulatio sit, principes; de dilectione pontificum Romanorum in Christum ipse scit, qui omnia novit. At Iohannes signo etiam aliquid assequi nos posse docuit. « Qui — inquit — non diligit fratrem suum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere? » Si historiam pontificum legimus, nullam curam intelligimus illis fuisse potiore quam dominatus propugnandi et ditionis augendae et regni servandi: quod ut tuerentur, barbarae gentes saepe excitatae sunt, rerum novarum studiosi populi sollicitati in reges et imperatores, foederibus modo in hos, modo in illos ictis, aucta incendia bellorum, spoliati reguli et necati crudelissime, cives exinaniti, aucta vectigalia pontificum, spoliatae urbes, aeraria aliorum compilata, haec quoniam principes ipsi senserunt et populi, missa faciam. Ad illud venio, quod pene turpiter omiseram. Eius verba haec sunt, qui mentiri non potest: « Qui non diligit me, sermones meos non servat; et qui habet mandata mea et servat ea, ille est, qui diligit me ». Caput

est de maiestate mandatorum Christi imminuta, in quo pluribus questi sumus, a pontificibus non modo non servata mandata Christi, sed summa diligentia fuisse cautum, adhibitis etiam minis, et suppliciis constitutis, ne ab aliis servarentur. Eius vos meminisse oportet. Obsecro, memineritis, vos, principes, in quibus habitat spiritus Dei.

Percurramus nunc partem aliquam doctrinae apostoli, ut cognoscamus, an pontifices Romani eam sustinuerint aut sustulerint. Proponamus vitam apostoli, ut intelligamus, si eius vitae exempla sunt imitati, aut potius execrati non verbo sed ipsa re. In epistola multis agit Petrus, ut lapidem electum et petram quandam ostendat esse Christum. « Ad quem — inquit — accedentes, lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, a Deo autem electum et honorificatum, et ipsi tamquam lapides vivi supraedificamini. Propter quod continet scriptura: ' ecce ponam in Syon lapidem summum, angularem, electum, preciosum; qui crediderit in eum, non confundetur '. Vobis igitur credentibus honor, non credentibus autem lapis, quem reprobaverunt aedificantes; hic factus est in caput anguli et lapis offensionis, et petra scandali his, qui offendunt verbo, nec credunt in quo positi sunt ». Docet hic Petrus, Christum esse lapidem et petram, ut et ipsi supraedificentur. Ecquid aliud sonat, « super hanc petram aedificabo ecclesiam meam »? Addit: « et qui crediderit in eum, non confundetur », quod est idem atque « in eos, qui crediderint, portae inferi non praevalent ». Hanc doctrinam si secuti fuissent pontifices Romani, non laboraremus. Pergit, « vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta »: hic fideles omnes appellat non modo sacerdotes, sed et regios. Si quis laicos, quos vocant, sacerdotes appellet, quae et quam turpes in eum sequentur nomenclationes, declaratione opera pontificum Romanorum? Spirituales hostias nos, inquit, offerimus. At hoc de omnibus Christi fidelibus dicit apostolus. Nam quid ait? « Sacerdotium sanctum offerentes spirituales hostias, acceptabiles per Iesum Christum ». Christum — inquit — nos offerimus. Quasi vero semel pro nobis seipsum ipse Christus non obtulerit satis, adstetque semper vultui Dei pro nobis

mediator advocatus et interponens sese. Commemoratio mortis Domini est celebranda. At dum panem illum manducamus et calicem bibimus, omnibus aequè est praeceptum, ut eius beneficii memores mortem Domini annunciemus, donec veniat. Quae non eo dico, ut negem, diaconos non inanes, et episcopos seu presbyteros non adumbratos, constituendos esse per civitates ab ecclesia sancta (est enim id perquam necessarium); sed ut ostendam, nihilo plus illos caeteris esse sacratiores. Nam unum baptisma, unam fidem, unam unctionem habemus a sancto, qua sumus sacri, non quod simus succincti vestibus et zona, sed succincti, inquit Petrus, lumbos mentis, quodque sancti simus omnes Christi sacerdotes fideles. Quamobrem sacerdotibus illis, quibus omnia contingebant in umbris, ut nos significaremur praedictum fuerat: « sancti estote, quia ego sanctus sum ». Huic doctrinae apostoli tenebrae densissimae atque incredibiles offusae sunt a pontificibus Romanis; quod saepe iam questi sumus. Pergit. « Subiecti estote omni humanae creaturae propter Dominum ». Id omnibus dicit, neque diaconos neque episcopos excipit. Exemerunt tamen, veluti vulpeculae, pontifices Romani se et suos, mirumque in modum privilegiis munierunt, non modo ne laicis, sed ne civilibus legibus subiicerentur, neve Petri doctrinam sustinerent, quam manifeste in hoc privilegiis quaesitis oppugnant.

Sed ego, ne totam epistolam videar velle interpretari, venio ad *Acta apostolorum*. Petrus accepto Spiritu sancto cogitat de regno Dei, aperit scripturas, et adponit uno die Christo animarum circiter tria millia. Pontifex Romanus (ex historiis quivis repetat), accepta mitra Mammonae, cogitat de regno mundi, aperit fores Iani, quod est, de bello cogitat in regulos non suae factionis, et feudatarios, quos vocat, rebelles, et scandalizat, adponitque diabolo uno die hominum plusquam centum millia. Petrus nulla re magis exultans quam paupertate, claudio dicit, « argentum et aurum non est mihi ». Pontifex vero exultans auro et regia gaza, in salibus habet, se id non posse dicere, quod claudio apostolus Petrus. Ubi claudus salvus adstisset, neque sese, neque alium hominem spectari vult, sed

Christum solum, docet non esse aliud nomen a Deo datum sub coelo, in quo nos oporteat salvos fieri. Pontifex, si quid usquam tale acciderit, vel Petrum, vel alium quem ex hominibus, qui dicti sunt sancti, spectari vult, et iis templa exaedificari, erigi statuas, docetque sub coelo esse multa, quae sint ad salutem. Petrus in concilio principum, seniorum et populi vocatus, asserit aequum esse audire Deum potius, quam concilium. Superioribus annis, cum Germani advertissent aliud statuere decreta et concilia, aliud evangelium et se dicto Dei fore audientes potius quam hominum, a pontifice Romano damnati sunt atque exclusi. Petrus precio agrorum ecclesiae accepto dividit singulis, prout cuique opus erat, neque erat inter tot quisquam egens. Pontifex Romanus, acceptis bonis ecclesiae, magnis divitiis cumulat suos, dat quod cuique opus est, ne quis sit inter suos egens; caeteros miseros, qui vel servitutem serviunt in Africa et Asia apud hostes nominis Christi, vel qui duriter vitam agunt apud nos, non curat absumi fame et rerum omnium inopia. Petrus Ananiam et Saphiram mentientes Spiritui sancto, accensus spiritu, aspectu ipso exanimat. Pontifex Romanus, cum videat atque intelligat, ab iis, quibus stipatus sedet, episcopatus adpeti atque geri, non ut doctrina et sapientia, quam nullam in iis esse cognoscit, pascant oves Christi, sed causa magnorum proventuum et in luxu vitam agendi, fert, immo vero alit atque extollit, cumulatque magnis muneribus, et, ut Hilarius aiebat, « intra palatium honorat ad servitutem » addam ego « ad calamitatem et exitium ovium Christi ». Petrus, cum apostolis Symon pecuniam obtulisset, ut impositione manus acciperet Spiritum sanctum, abegit clamoribus hominem, qui donum Dei existimaret pecunia posse possideri. At pontifices Romani saepe pecunia, saepissime corruptione, ut his internunciis demerentur reges et principes, manus imponi curaverunt iis, quos non aptos ad episcopatus gerendos, curamque animarum suscipiendam, sed ad conciliandos imperatorum et regum animos intelligerent accomodatos, aut privato aliquo commodo et sanguinis communionem coniunctos. Petrus, cum in coenaculum esset ductus, et circumstaret illum magna turba, reiectis foras omnibus, oravit ex

instituto evangelico, « cum oratis non eritis sicut hypocritae, qui amant in synagogis, et in angulis platearum stantes orare; tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio ora patrem tuum; in abscondito reddet tibi ». Pontifex Romanus, cum orandum est, et tuba cani, et reboari per urbem instituit, et alta voce, et confusa concini musicorum instrumentis contra reboantibus. Quod non eo dico ut orationes publicas improbem, sed quod institutis pontificiis huc ventum est, ut tenues homines, cum domi possent orare et curare, quae curanda sunt, ad templa volitant tamquam otiosi, quasi ille domi orandi modus evangelicus minus sit Deo acceptus. Petrus cum visionem videret, et vas quoddam veluti linteum magnum submitti de coelo in terram, in quo erant omnia quadrupeda et serpentina terrae, et volatilia coeli, vocem audit: « Surge, Petre, occide et manduca », non ut gulae licentia, sed libertas Christi sanguine parta, gentibus et nationibus proponeretur, ut sine offendiculo omnibus semper uteremur cibus, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione. At pontifices Romani poena mortis animis proposita, distinguentes inter diem et diem, contra vocem illam e coelo missam, reclamant: — His aut illis diebus ne manducato neve adponito. — Petrus, cum Caesaream intrasset, et ad eius pedes Cornelius se abiecisset, adorassetque eum, non tulit, sed monuit hominem esse sese, et propterea tales cultus non sibi deberi. At pontifex Romanus, non modo tenues homines ad pedes eius abiici statuit, sed beatissimis pedibus osculum dari vult ab imperatoribus et regibus principibusque civitatum ad eius pedes provolutis. Petrus os suum aperiens, dixit: « in veritate comperio, quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet eum et operatur iustitiam, acceptus est ei »; pontifex Romanus non modo personarum sed et locorum facit acceptorem Deum ita ut, si alii episcopi possint errare, episcopus Romanus non possit, quod Romanae ecclesiae sit episcopus, ob quam dictum est Petro, « tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam » (Romanam), « et portae inferi » (haereticorum sectae) « non praevalent adversus eam ». Petrus tandem, cum surrexissent quidam de haeresi pharisaeorum, qui crediderant, praeciperentque servari quaedam legalia, acclamavit

apostolus, « nunc ergo quid tentatis Deum? imponere iugum super cervices discipulorum, quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus, sed per gratiam Domini nostri Iesu Christi, credimus salvari, quemadmodum et illi »; monet, obtestatur apostolus, tentari Deum, si quis de iugo imponendo et legalibus cogitet.

At pontifices Romani nihil magis cogitasse videntur, nihil magis curasse, ut ostendimus, quam ut eorum opera iugum ex legalibus et praeceptis restitueretur. Si circumcisionis onus apostolo intolerabile visum est, quod semel in vita cuique erat obeundum, quod Iudaeis fere semper in infantia illa absolvebatur, in qua grave quid sit non intelligitur, et tantopere reclamatur apostolus; quid faceret hoc tempore, in infinita multitudine legalium et praeceptorum, quae non in omni vita semel, sed partim singulis annis saltem semel, partim non semel sed saepe et saepius singulis mensibus servanda sunt, mortis poena animis proposita, si non serventur? Habetis, principes, ex altera parte amorem Petri in Christum, doctrinam et vitam apostoli; ex altera parte pontificum Romanorum. Vos ego nunc appello, vestram imploro fidem, obtestor ego vos per Iesum Christum, ante cuius tribunal sisti tandem omnes oportet, ut iudicetis, utrum successores isti fuerint an eversores Petri, utrum apostoli doctrinam aluerint, an sustulerint de medio. Mirum profecto est, quam in his nihil sit eorum, quae in Petro potissima fuerunt. Nihil tam diversum est quam vita apostoli et pontificum Romanorum; nihil tam pugnans quam huius et illorum doctrina. Conferte vos etiam atque etiam, principes, neque mihi sed veritati credite. Considerate, inquam, an hi sint successores Petri vel eversores. Liberate inveterata et indigna infamia apostolum. Declarate sententiis vestris, hosce illos ipsos esse, quos in spiritu vidit Petrus apostolus, magistros mendaces, qui in avaritia fictis verbis (praefationibus illis servi servorum Dei, vel beatissimi et sanctissimi Domini, Domini nostri) non modo de tenuibus hominibus multis iam saeculis, sed magnis imperatoribus et regibus sunt negotiati: quod futurum apertissime monuit Petrus apostolus, ut erudiremini aliquando et caveretis ovibus Christi, vos invicti, augusti, pii principes, in quibus habitat spiritus Dei.



## RECITA CAPUT DECIMUM NONUM.

Revelatur ira Dei, inquit apostolus, super omnem impietatem et iniustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in iniustitia detinent; quia, quod notum est Dei, manifestum est in illis: at cum cognovissent, quod Dominus Jesus factus est nobis salus, sapientia, a Deo, iustitia et sanctificatio; non glorificaverunt aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum, et contulerunt gloriam unigeniti Dei rebus inanimatis, ita ut genu flecterent, et adorarent illas, et peterent in sanctificationem. Propter quod Deus tradidit illos in coecitatem, ut facerent ea, quae non convenirent; sicut praedixerat Spiritus sanctus per os Pauli quod futuri erant (videte iam, si revelata est ira Dei super hominum impietatem; animadvertite, si bene expressi sunt pontifices Romani, collegae et asseclae eorum, qui veritatem Dei in iniustitia detinuerunt); « homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi ».

## Declaratio testimonii XIX.

Qui hi sunt elati, superbi? discite ex eorum litteris. Nos reverendissimi, reverendique patres, miseratione divina episcopi, presbyteri, diaconi, cardinales, patriarchae, archiepiscopi, episcopi, praelati. Sed tu perge. « Blasphemi, parentibus non obediens ». Adde etiam, si vis, iubentes, ne alii parentibus obediant. Nam de ea re caput fuit sextum. Perge. « Ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate ». Hic ego, si antiqua nolim repetere,



Alexandrum sextum, qui plus veneni quam aquae miscuisse dicitur, possum commemorare; et Iulium secundum, cuius opera plus uno die sanguinis hausit terra, quam ipse cum combibonibus vini in toto pontificatu. Praetermitto populationes agrorum, ingentes praedas, incendia oppidorum, quae secuta sunt ferro ignique omnibus locis vastatis: quarum calamitatum primarios testes quam plurimos excitare possum, et, si libet, ab Ascanio Columna et Camertum et Urbinatum duce petere, quos credo Paulus pontifex iustis de causis non sperat habere laudatores. Sed ego hanc partem orationis aliis relinquo. Nam quod sine benignitate et humanitate fuerint pontifices, qui potest esse obscurum? Si constat eos non modo in viventes, sed in mortuos etiam saevisse? Stephanus sextus Formosi corpus e sepulcro erutum, pontificio indumento spoliavit, abiicique in vilem tumulum iussit, duobus digitis dextrae abscissis. Sergius tertius Formosi cadaver tractum e tumulo, securi percussit, et post contumelias in Tiberim proiecit. Multorum ossa, ut eorum verbis utar, exhumari, multorum cineres vento spargi mandarunt. Recte ergo apostolus hos praevidens appellavit homines immites et sine benignitate. Perge. « Proditores, protervi, tumidi et voluptatum amatores magis quam Dei, habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes ». Quis Romae fuit pompam illam intuitus et apparatus pontificum et collegarum asseclarumque eorum, quo Christi religionem eludunt, qui pietatis speciem non sit arbitratus inesse illis? Quis vero diem unum aut alterum Romae egit, ut oculis potius quam auribus crederet, qui virtutem solidamque pietatem ullam esse non negarit in his hominibus? Quid? quod se vicarios Christi, et Petri successores et episcopos et pastores et servos servorum Dei asserant? Habent hic quoque speciem pietatis. Cum autem eorum nihil sit, quae pollicentur, sed contra omnia insint vitia; pietatis virtutem abnegare dicuntur. « Homines corrupti, reprobis circa fidem, sed ultra non proficient. Insipientia enim eorum manifestabitur ».

Utinam, principes, det nobis hoc pater Domini nostri Iesu Christi, ut quod aliquando futurum est vobis ad gubernacula reipublicae sedentibus contingat, ut per sententias vestras omnes

intelligent atque cognoscant auctorem omnium malorum et incommodorum nostrorum, quem oportet aliquando cognitum iri. « Revelabitur — inquit apostolus — suo in tempore homo peccati, filius perditionis, qui adversatur et extollitur super omne, quod dicitur Deus aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tamquam sit Deus ». Considerate, principes, quid sit « ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tamquam sit Deus, et iam mysterium operatum iniquitatis ». Tempore enim Pauli, ut ostendimus, pseudoapostoli illi obtegere coeperant beneficium sanguinis Christi, velare evangelium, tenebras offundere rebus clarissimis et simplicissimis, quorum pseudoapostolorum doctrina sustentata atque aucta est aemulatione legalium a pontificibus Romanis, ex quibus veluti unum aliquod corpus, una civitas, unus quidam ex membris multis perficitur atque conflatur. Quamobrem pergit apostolus, « et revelabitur ille iniquus, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui ». Quomodo interficiet spiritu oris sui? evangelium, verbum, spiritus oris Domini est. Illustratione evangelii cadet, cadet Babylon, peribit ille iniquus, qui dicitur Antichristus. Ut vero multos ac multos homines fore intelligatis Antichristum, hic dicitur: « insipientia eorum manifestabitur ». Quorum obsecro insipientia? suscipite curam et cogitationem dignam animis vestris, principes, et sinite iam illustratione evangelii sancti interfici impium, sinite spiritu verbi Dei corpus illud, coetum impurissimum dissolvi hominum, qui servari mandant doctrinam daemoniorum. Qui attendant doctrinae daemoniorum, certissima signa proposuit apostolus, quibus omnibus vestigiis, si vultis, eos adsequemini; nunquam effugient. « Spiritus — inquit — manifeste dicit » num dubitanter loquitur? manifeste dicit « quod in novissimis temporibus discedent quidam de fide ». Res digna est observatione. Haec enim tempora nobis sunt novissima. Qui hi sint, qui discesserint de fide, agite iam videamus. « Discedent de fide, attendentes spiritibus erroris et doctrinis daemoniorum ». Quorum daemoniorum? « prohibentium — inquit — nubere et abstinere a cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus ». Nobis sunt haec, quibus vivimus, novissima tempora. Nihil sane refert, vel

Marcion vel Manichaei quidam docuerint, nuptias esse impuras propter concubitum, bonum non esse omnibus vesci. Si pontifices Romani idem instituerunt, et Marciones sunt et Manichaei. At tergiversari non licet contra Spiritum sanctum. Res in illustri omnium gentium et nationum conspectu posita est: Marcion et Manichaei docebant, impuras esse nuptias, docebant non omnia bona esse ad victum; at non prohibuerunt edicto aliquo gentibus et nationibus proposito. At apostolus non « docentium » inquit, sed « prohibentium nubere et abstinere a cibis ». Non est idem docere et prohibere; vis est in verbo. Quis prohibuit, quis edictum proposuit, ne diaconi, ne presbyteri, ne episcopi, ex instituto Spiritus sancti per apostolum scripto deligi possint ex iis, qui a plebe sancta probati et laudati unius uxoris viri sint, qui domui bene praesint, et a filiis bene eductis atque educatis pie colantur et observentur? Quis infinitam multitudinem clericorum et cucullatorum matrimonii sacramento abstinere non dico docuit, sed uti prohibuit, ita ut si quis eorum uxorem habeat, sacerdos esse non possit? Quis poena mortis aeterna proposita, non dico docuit, non dico hortatus est, prohibuit, dico, ne gentes et nationes ex libertate Christi suo comodo semper cibis omnibus uterentur, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, nisi libertatis christianae, et evangelicae apostolicaeque doctrinae, inimicissimus coetus et insipiens pontificum Romanorum? « At insipientia eorum — inquit apostolus — manifestabitur ». Latine multi scripserunt, germane ut audio plurimi, italice in primis integritate et castitate vitae admirabilis vir Bernardinus Ocellus Senensis *de Antichristo*. Res celebrari coepta est etiam aliis linguis, ita ut, illustratis scriptis illis divinitus Danielis prophetae et Iohannis *Apocalypsi*, et sanctissimorum apostolorum Petri et Pauli epistolis, res in comperto sit, in pontificum Romanorum persona expressam esse faciem Antichristi.

## RECITA CAPUT VICESIMUM.

Malae consuetudines, abusus, abominationes publico edicto tollendae. Bacchanalium enim speciem habemus, ludorum speciem, simulacrorum abusus. Neque enim abest, quin infirmitas humana, instigante Satana, ut Deos olim, divos morbis praefecerit; ita ut ad Petri fanum Romae templum Febris sit, divae Mariae titulo. Nec brutis deest patrocinium sanctorum, applaudentibus pontificibus Romanis. Fornicari impune licet: scorta ubique publica; ita ut Romae superioribus annis censa sint meretricum publicarum capita ad decem millia; earum quaestus portionem quandam sibi pendi iubent, sicut et a Iudaeis pontifices, quod foenerari impune permittant, centesimam exigunt. Acerbissimae vero exactiones, crudelissimi dominatus, simoniae, doli, Spiritus sancti venditiones et emptiones, et caetera abominanda sic Romae regnant, ut qui Christi spiritum habent, liquido videant scriptum in fronte curiae Romanae: « Babylon magna, mater fornicationum et abominationum terrae ».

## Declaratio testimonii XX.

Incredibiles sunt abusus, infinitae abominationes in magnis urbibus. At quam omnia superstitionum, abominationum, abusuum plena sint in castellis, vicis atque oppidis rusticis, nullum est ingenium, nulla eloquentia, quae adsequi possit dicendo. Quo minus dici possunt, eo magis vestrum est, principes, animis et

cogitatione complecti: in quibus illud est mirandum, quod omnia haec mala ab uno perditionis fonte manarunt. Quod si vos admiratione adficiat, quod tam diu haec, non dico incognita (parum enim hoc esset), sed et celebrata et pro piis habita sint a regibus et populis, est consentaneum: id enim ipsum in spiritu videns revelator ille rerum altissimarum Iohannes, « et admiratus sum — inquit — admiratione magna ». Desinite iam mirari, principes; illud vos potius consoletur, quod dixit Augustinus, quod « videntes quae praedicta fuerant in scripturis sanctis, nostris temporibus adimpleri, aedificamur in fidem, quod est, ad caetera credenda efficimur propensiores ». Quam vellem, Auguste Caesar, piique reges et magni principes, his, quae de hac ipsa re a Iohanne praedicta sunt, aliquantulum daretis operae. Neque enim fugit hominem illum divina mente praeditum quid futurum esset. « Apocalypsis — inquit — Iesu Christi, quam dedit illi Deus palam facere servis suis: beatus, qui legit et audit verba prophetae huius et servat ea, quae scripta sunt ». Pie quidem dicuntur: non sunt negligenda, principes. Vidisse dicit ille se meretricem magnam, « sedentem super aquas multas, cum qua fornicati sunt reges terrae, et inebriati sunt, qui habitabant terram de vino prostitutionis eius; et mulier erat haec circumdata purpura et coccino, et inaurata auro et lapide pretioso et margaritis, habens poculum aureum in manu sua plenum abominatione et immunditia fornicationis suae, et in fronte eius nomen scriptum: mysterium, Babylon magna; mater fornicationum et abominationum terrae ». Aperit mysterium angelus Domini. « Mulier, quam vidisti, est civitas magna, quae habet regnum super reges terrae ». Bestia ascensura de abyso, tyrannis pontificum est, pontificia ipsa potestas, pontificia vis, quae detortis scripturis, privilegiis acceptis, ut ostendimus, et inveterata consuetudine imperium sibi statuit in imperatores et reges. Huc illud accedit: « septem capita septem montes sunt, super quos mulier sedet ». Ecquae urbs septicollis appellata est? « Mulier — inquit — ebria de sanguine sanctorum et de sanguine martyrum Iesu ». Num ea Roma est? dicant iam ipsi pontifices. — Sed et meretrix super aquas multas. — Aperit hoc etiam angelus Domini: « aquas, quas vidisti, ubi meretrix

sedet, populi multi sunt et gentes et linguae ». Quis de certitudine et veritate religionis christianae possit ambigere, in qua mille et quingentis prope annis, quae praedicta fuerant, contingere ita videmus hoc tempore, ut ne minimun quippiam sit praetermissum? « Coelum — inquit Dominus — et terra peribit: verba autem mea non praeteribunt ». Credo ego vos admirari solitos esse, principes, si tales fuerunt pontifices Romani (quales utinam non fuissent), quomodo tam diu a gentibus et nationibus summo consensu celebrati et culti sint. Oportebat pontifices sedere super aquas multas, oportebat a gentibus et nationibus multis magno plausu probari doctrinam pontificum, ut impleretur scriptura, essetque Babylon illa mater magna fornicationum et abominationum terrae, cum qua fornicarentur ipsi etiam reges. Magnae, ingentes, omnino infinitae a vobis deo gratiae agendaae sunt, principes, qui vos in admirabilem usque adeo lucem vocavit, ut id de vobis neque dici neque cogitari possit. Quid enim est, « fornicari cum Babylone », nisi cum iis sentire et coniungi, qui iura humana et divina confuderunt? « Babylon » externa vox est, apud nos confusionem sonat.

Liceat mihi pro amore atque observantia vestra in Christum, principes, aliquid liberius dicere. Imprudenter olim rudibus saeculis imperatores quidam et reges cum Babylone sunt fornicati. Non mens illis noxia fuit, non animus nocens, non sensus, non consilium, non cogitatio ulla peccandi. Quo purior et candidior illorum mens erat, eo facilius a quibusdam malis artificibus fraus et dolus admoti sunt. Imperatores primi illi, qui in barbaris nationibus ex imperii finibus pellendis fuerunt occupati, theologiae litteras interiores attingere non potuerunt, religionem nostram peramanter complexi, quidquid offerebatur, accipiebant, quidquid proponebatur, exequiebantur. Quamobrem antistites, qui per id tempus Romae fuerunt, perliberaliter tractati sunt. Nunquam vero imperatores illi crediderunt, eorum muneribus tantam licentiam futuram pontificum Romanorum, neque fortasse legerant, victu et vestitu debere esse contentos episcopos, et cum divitiis non putarunt apud barbatos illos avaritiam subrepere, quae radix est omnium malorum. At ubi episcopi reges esse coeperunt,

simul suspicionem regni amittendi, et curam conservandi et cupiditatem nonnunquam augendi necesse fuit accedere: implicati sunt tum primum negotiis, quae saecularia ab apostolo appellantur, a quibus longissime eos iubet abesse, qui Deo serviant. At pii principes illi prodesse putarunt se sanctissimae religioni, obesse certe quidem nunquam voluerunt. Nondum luxus isti prodierant, initio abusus ignoti, neque tanto numero, et ii, qui essent, non proferebantur. Proximi illorum saeculis fuerunt summo ingenio et eloquentia theologi, qui in reiciendis sectis, quae ab Arianis, quae a Manichaeis et caeteris magno incommodo fuerant invecatae, occupati, volumina compleverunt disputationibus et commentariis. In his excelluit Augustinus; ita ut Romanae etiam ecclesiae iudicio primus sit habitus obsessor atque expugnator haereticorum. Is quoniam et valde peritus et acutus fuit, in haec quoque penetravit, quae hodie disputantur. Nihil enim non attigit, sed de quibusdam breviter omnino et strictim veluti pungens et somno excitans. Fundamenta vero ea iecit de gratia, ut si ea attolli plusculum passi fuissent homines, et de abusibus multis et magnis actum et mirum in modum aucta fuisset doctrina vere apostolica. At Augustini opinio de gratia hoc tempore a pontificibus Romanis et eorum asseclis ferri non potest, sicuti libri *de praedestinatione*, quos in senectute scripsit, maturiore aetate et properante ad veram solidamque pietatem et plenioris peritiam. Tyrannidi pontificum Romanorum, quod ii ex provocatione ius sibi statuerent in omnes episcopatus, universi Africae episcopi egerunt in conciliis de capite, *de appellatione ad episcopum Romanum*, quod dicebatur esse concilii Nicaeni capitibus suppositum atque adiectum, quorum opera nihil dico; litterae adhuc exstant, plenae querelarum Africanorum episcoporum, testimonia item de exemplaribus concilii Nicaeni, summa diligentia conquisitis et acceptis ab antistitibus Graeciae, consonis iis, quae antiquissima in Africa adservabantur, in quibus caput non erat illud, « placuit si episcopus accusatus fuerit ». Re explorata et comperta de tyrannide pontificum romanorum in omnes episcopos per dolum conquisita et comparata cum conclamare coepissent antistites



Africani, contigerunt per id tempus magni bellorum motus, irruptiones Gothorum in Italiam, in Hispanias, in Gallias, in Africam, quibuscum conveniendi et disserendi post commonitionem praeclaram ad pontificem Romanum, (ut concilii Africani verbis utar), ne famosus typus saeculi in ecclesiam Christi induceretur, finem fecerunt Carthaginensia concilia. Occupata misere et diu Italia et illustribus provinciis secutae sunt incredibiles tenebrae disciplinarum omnium multis ac multis saeculis, ita ut non modo liberales artes, sed omnes etiam, in quibus manus accedit, deperderentur. Non solum dicendi genus et antiqua latinitas mutata est, sed etiam forma et figura ipsa litterarum, quarum exempla ad nostra quoque tempora pervenerunt. Quid putatis interea actum de theologia? annon ipsi quoque tenebras fuisse offusas? Superstitio (vetus est) religionem imitatur: proni fuerunt semper homines ad malum. Quis ergo dubitet ad superstitionem fuisse aditum? Omitto, quod tenebrae istae et fames verbi dei et ieiunia praedicta fuerint in scripturis sanctis: ad ea, quae oculis cernimus, veniamus. Quis pictas, annos abhinc non dico sexcentos aut trecentos, sed centum ipsos, in parietinis imagines conspiciat et risum teneat? Quis latinitatis amator schedulam, quae intra hoc tempus scripta fuerit, potest ferre, ut iterum legat? Et quoniam cum imperatore et regibus principibusque civitatum sermo est, de praeliorum genere et ratione belli gerendi perpauca atque intra modum dicamus. Quis non miretur, tanto olim usu et peritia rei militaris apud Romanos et exteris nationes multas ad eam inscitiam fuisse ventum, ut neque milites ordinem servare neque imperatores aciem instruere neque castris fossam ducere neque vallum iacere scirent; vulgo sine ordine, sine fossa, sine vallo castra metabantur. Felicitate et virtute vestra, principes, ingenia hominum se extulerunt, animi veluti e longo somno excitati, (quantum vix videbamur posse sperare) omnia diligentia et industria sunt adsecuti. Pictura, ut a rebus notissimis et humilioribus incipiam, pulcherrime restituta est: latinae litterae honestissime reductae; rei militaris ars atque ratio belli gerendi exquisitior atque absolutior fuit nusquam gentium. Ecquid creditis, theologiae, chaldaicis, graecis, latinis



bibliothecis restitutis, magno studio, summa diligentia, incredibili opera adhibita, nihil fuisse melius? Mirum videri non debet si, luce ingenti quadam sanctissimae facultati adlata, multa, quae in diuturna obscuritate latuerunt, videri coepta sunt.

Tempus est iam, Carole caesar, pie, felix, auguste, vosque summi reges, et magni principes, re in illustri omnium gentium et nationum conspectu posita, declarare sententiis vestris, non modo nobis sed posteris, propensionem animorum vestrorum in Christum. Eius evangelium conversum et confusum videtis miserum in modum, beneficium sanguinis Christi velatum atque obtectum, infirmis male consultum, onus grave innumerabilium praeceptorum super humeros fidelium gentium et nationum impositum. Quid expectandum? libertas Christi sublata est; instituta apostolorum eversa sunt; rescissum est verbum Dei; praeceptorum Christi maiestas imminuta; crux, quantum per hoc licuit, evacuata est; abusus magni atque incredibiles inventi; confusa denique iura humana atque divina. Quis Christi nominis tam est inimicus, qui possit haec audire et ferre? aut, si nulla ratione mederi queat, ne cum impiis sensisse videatur, non morte testatum relinquat? Hanc ob rem, si quid gravius in me acciderit, qui pro gloria Christi, pro salute fratrum, periculoso consilio, at perquam pia mente, suscepi communem causam; nunquam profecto pigebit, si defenso evangelio filii Dei id sequi necesse est. Accede, lictor, colliga manus, caput obnubito; ipsum me cruciatibus et pontificum irae offero: percute securi. Quae est ista tanta crudelitas et saevitia, quam mors ipsa non exsatiat? Saturari pontifices nequeunt, nisi viscera nostra lanianda et in ignem coniicienda praebuerimus. Accede, lictor. Id etiam feremus. Liceat mihi, antequam de misero supplicia sumantur, abiici ad pedes, provolvi ad genua magnorum et sanctissimorum principum. Orat vos servus Iesu Christi, principes, et flens obsecrat per eam fidem et operam, quam praestare debetis Christo, qui tam amanter pro vobis mortuus est, qui resurrexit, qui adstat vultui Dei pro vobis, ut ipsi iam evangelii defensionem suscipiatis. Quod si supra hominum sortem, supra mortalitatem vestram datum est vobis, principes, ut rescissum verbum Dei,

imminutam maiestatem mandatorum Christi, instituta Spiritus sancti restituere possitis, orat atque supplicat, ut neque animi neque corporis laboribus defatigemini, quo minus ecclesiam Dei, quam daemonia quaedam forma hominum induta multis saeculis labefactare conata sunt, vos hoc uno consessu vestro, quem illa sibi horribilem et formidolosum putarunt, gentibus et nationibus vindicetis in pristinam eius lucem et dignitatem.

II

OLIMPIA MORATA

LETTERE



## OLYMPIA MORATA CHILIANO SINAPIO S. D.

Etsi multa soleo, mi Chiliane, domestico praeconio testes colligere, tamen, quia collectam a me exigis, non committam, ut, si refugerim, causam tibi dem aliquam posthac non scribendi. Tuae itaque literae mihi gratissimae fuere, quum quia ex ipsis benevolentiam tuam erga me facile perspexi, tum quia me vehementer ad studia politioris humanitatis hortari visus sis: quod quidem mirificam mihi attulit voluptatem. Nam istis studiis nihil hominum generi a Deo immortali datum esse melius neque prae-stantius, semper in animum induxi meum: praesertim cum animus noster, qui nobis ex sempiternis illis ignibus (licet enim mihi quoque apud te philosophari), quae sydera et stellae vocantur, a Deo optimo maximo datus est, nulla re magis quam literarum scientia excolatur, cumque nulla re alia caeteris animantibus praestemus. Cum tantum igitur literae inter caeteras res humanas excellent, quae quaeso me muliercularum fusa et acus (ut tu ais) a mansuetioribus Musis avocare poterunt? ego enim illarum magiis tamquam Ulysses Syreneis scopulis aures clausi meas. Quid? colus et fusa valebunt ad persuadendum mihi hoc quo non loquuntur? an fortasse illa vilissima munera per se illecebras aliquas prae se ferunt? Sed adeo ab illarum sententia animus meus abhorret, quae me omissa hypera, ut aiunt, pedem sectari volunt, ut eas in praesentia missas facere decreverim: ac tibi ad id quod caput fuit in tua epistola respondero, simulque scribendi finem fecero. De alumnis igitur tuis, quid promoveant in literis, te iuxta tritum dicendi morem

admonitum volo, προβάτων οὐδέν ὄφελος, εἰάν ὁ ποιμὴν ἀπῆ.  
 Quare nulla est quae tuum adventum valde non desideret, in  
 primisque ego. Vale.

[Ferrariae, 1540].

## II

OLYMPIA F.[ULVIA] MORATA CHILIANO SINAPIO S. P. D.

Quantum suum quisque magistrum amare debeat, mihi exemplo suo ostendisse videtur Alexander ille cognomento Magnus, qui suum usque adeo diligebat, ut se diceret non minus ei quam patri debere. A patre enim vivendi, a magistro bene vivendi initium sumpsisse. Ego vero quod ad amorem quidem attinet, Alexandro fortasse non cessero; sed quod gratiam itidem ut ille magistro referre non possum, hoc vero aegre fero. Mirifice enim afficior, dum tui tanti in me beneficii recordor, quae a te primum graecae huius linguae elementa principiumque sumpserim, quod in omnibus non solum totius dimidium est, ut plerique existimant, verumetiam plus dimidio, ut Aristoteli videtur. Itaque metuo ne quis mihi dictum illud obiiciat Agesilai: « Odio dignum esse, non si quis affectus inimicitia ulciscitur, sed quis beneficio accepto ingratum se praebet ». Verumtamen ingrati me animi arguere nemo, ut opinor, poterit, si in eruditione pro virili proficere studuero. Videtur enim nec ingratus nec improbus esse discipulus, si magistri mores et virtutem disciplinamque pro virili conatur imitari. Magister quoque virtutem promittens, non pecuniam aut opes exigit a virtutis cupido, sed maximi quaestus loco ducit, bonum et frugi reddidisse auditorem, unde ipse non divitias, sed divitiis preciosiorem gloriam decusque consequatur; quae solus animantium homo cupiens, caeteris antecellere videtur. Igitur ego caetera omnia, quae vulgo bona vocantur, nihil faciens, solamque virtutem suspiciens, solam hanc animi proprium et nunquam amittendum bonum iudico; et caeteris quidem omnibus incertam ancipitemque fortunam moderari, virtutem vero divinam esse, divinoque fato nobis venire, ideoque omnes ea

praeditos recte vivere, recteque omnia agere. Neque enim in scientia, sed in exercitatione atque actione et initium virtutis est et finis. Ac quemadmodum ludis Olympiis non formosissimi et valentissimi quique, sed qui certant, coronantur, quippe quorum aliqui vincant, sic et bonorum huius vitae compotes fiunt, qui recte vivunt, sicuti Mucius ille vir praestans, qui pro patria tantum laborem pertulit. Cuius ego tibi historiam mitto, quam nuper conscripsi. Tu enim mihi primus occurristi tali munere dignus, qui eruditione plerosque nostri temporis homines eo usque antecellis, ut solus is sis, de quo homericum illud merito dici queat:

Ille sapit solus, reliqui metantur ut umbrae.

Igitur quum cogitarem quae diis consecrantur, quamvis nullius sint pretii, tamen ab omnibus plurimi fieri, volui ego quoque hisce te potius quam alium quemquam affari, ut alicuius precii esse videatur donum acceptumque exiguum. Vale, et Cremerum, qui est Musarum dulcis alumnus, meo nomine saluta.

Ferrariae, [1540-1548].

### III

#### OLYMPIA MORATA IOANNI SINAPIO S. P. D.

Etsi opportunitatem operae tuae in omnibus rebus desidero, tamen non tam mea, quam tua causa doleo te non valere; idque molestissimum est mihi: sed spero te, diligentia adhibita, etiam firmiorem fore. Modo fac id quod humanitatis tuae est, ne quid aliud cures hoc tempore, nisi ut quam commodissime convalescas: sicut rogo atque oro Dominum meum ut valeas. Nam ego omnem spem tui curandi, diligenter in eo habeo. Nunc nihil te impedit. Quantam diligentiam in valetudinem tuam contuleris, tanti me fieri a te iudicabo. Vale, mi domine Sinapi. Vale, vale et salve. Domina Logeria tibi salutem dicit. Vale.

[Ferrariae, 1540-1548].

## IV

OLYMPIA MORATA IOANNI SINAPIO MEDICO S. D.

Si vales, est quod gaudeam: sin nec dum satis, doleo. Verum tu, mi Sinapi, noli imitari malos medicos, qui in alienis morbis profitentur se tenere medicinae scientiam, se ipsi curare non possunt. Valetudinem tuam cura diligenter.

[Ferrariae, 1540-1548].

## V

OLYMPIA MORATA

DOCTORI ANDREAE GRUNTHLERO SPONSO SUO S.

Valde doleo te a me discedere, et tam diu abfuturum; nihil mihi neque molestius, neque gravius accidere potuisset: licet enim te non videam, tamen non tot sollicitor curis, quot cum abes: nam semper timeo, ne aut cecideris, aut alseris, aut perfreris aliquid. Et quando non timui graviora pericula veris? Nosti illud:

Res est solliciti plena timoris amor.

Quod si me hanc sollicitudinem, qua semper te absente crucior, omittere voles, facies, si commode fieri poterit, ut intelligam quid agas, qui valeas; nam tibi sancte adiuro, te mihi nec charius nec iucundius esse quicquam; quod te etiam perspicere scio. Si enim aliter staret sententia, non te celarem, ut antea aperte me tui odium cepisse significabam. Velim, mi sponse, tecum essem; tunc intelligeres planius, quanta esset magnitudo amoris erga te mei. Incredibile memoratu est, quam efflictim te depeream: nihil tam asperum, neque tam difficile est, quod non cupidissime sim factura, dum tibi gratificer; quare non est mirandum, si haec mora est mihi molesta, quoniam odit verus amor nec patitur moras. Quidvis aliud tua causa quam hoc facilius ferrem: proinde te obsecro, perque tuam fidem te



obtestor, ut manibus pedibusque obnixè omnia facias, ut hac aestate, ut polliceris, simus una in patria. Si aequè me amas, ut ego te, facies; sat scio. Sed ne sim tibi molesta, de hoc non loquar amplius, neque quicquid de hac re attigi, feci ut te increparem, sed ut te tui officii admonerem, etsi satagis harum rerum.

De vestibus, petere illas non decet: nam nuper princeps per quandam mulierem nunciavit mihi, non esse verum, quod nobilissimi Camilli uxor quicquam de salutanda filia illi dixisset; attamen, quia filia hoc vellet, se id permittere factum, illam vero petiisse mihi unam vestem quam non prius se daturam, quam ipsa rediisset, dixit. Haec respondisse arbitror, ut viderem illam nihil mea causa facere, sed illius, et ut (sed tacere melius est quod omnes vident) Lysippae satisfaceret, quam secum tunc fuisse credo. Ut ut haec sint, illas me habituram vix credo. Vale.

[Ferrariae, 1549].

## VI

## OLYMPIA MORATA

EXCELLENTISSIMO MEDICO IOANNI SINAPIO S. D.

Hoc tuum tam diuturnum silentium, plus quam Pythagoreum me admirari, suspicari, timere facit. Admiror enim cum adeo sancte adiurasses, te neminem praetermissurum, qui in Italiam proficisceretur, cui ad nos literas non dares: ne unam quidem ad nos, praesertim cum quatuor iam epistolas ad te scripserim et ad uxorem tuam. Suspikor te omnium amicorum oblitum esse non aliter ac si per oblivionis campum iter habuisses. Non parum vero timeo, ne quid vos in itinere impederit. Saltem qui valeretis omnes scripsisses, quod scire iam tanto tempore avemus, ut nihil interim dicam, quam misere cupiamus certiores fieri, quid egeris apud regem de nostro negotio. Nihil enim certi de rebus nostris statuere possumus, ni prius quid ille responderit intellexerimus. Quapropter si nos omni cura,

sollicitudine, metu liberatos velis, te vehementer etiam atque etiam rogo, ut negocium nostrum ita suscipias et tractes apud regem et Fuggerum, illisque nos ita commendes, ut tuam commendationem non fuisse vulgarem mox intelligamus, et quam primum quid actum sit fac ut sciamus, qua re nihil mihi gratius facere poteris. Commendo tibi perquam diligenter mea carmina. Bene vale, et me ama. Salutem dicito meo nomine uxori, nepoti, fratri et filiolae. Vos vero salutatur Domina Lavinia.

Ferrariae, tertio Calendas [Aprilis], 1549.

## VII

OLYMPIA MORATA IOANNI SINAPIO S. D.

Longiorem epistolam paucis ante diebus ad te scripsi, ita ut nihil opus esse existimem, ut de meis rebus cantilenam eandem toties canam. Nosti quid te agere mea causa in Germania cupiam: non me tibi commendabo amplius, neque mea carmina ut ad regem et ad Fuggerum afferas, admonebo. Scio enim omnia tibi curae esse. Bene vale. Salutem plurimam dicito meis verbis uxori, filiolae et Hosvaldo, quos et te una salute plurima impertit D. Lavinia.

Ferrariae, pridie Idus Aprilis, 1549.

## VIII

OLYMPIA MORATA

D. IOANNI SINAPIO VIRO DOCTISSIMO S. P. D.

Qui mihi est vita charior, eum ut ne tecum retineas plus uno mense, et ad me suam sponsam quamprimum remittas, etiam atque etiam rogo, ne ego misera dolore tabescam. Ille enim apud Terentium tam iniquo patiebatur animo sibi manendum esse sine illa biduum. At mihi cum duos menses sine illo

manendum sit, quid animi mihi miserae fore credis? οἷδε πο-  
θεῦντες ἐν ἄματι γηράσκουσι. Quare si me multis curis liberare  
voles, eum ad me quamprimum remittas. Et si illi tua opera  
opus erit, eam confestim impendas, αἱ ταχέαι χάριτες γλυκερω-  
τέραι. Bene vale. Salutem plurimam dicito fratri tuo D. Chiliano.

Ferrariae, 14 Calendas Iunii, 1549.

## IX

OLYMPIA MORATA IOANNI SINAPIO S. D.

Te oro, mi doctissime Sinapi, ut quamprimum hasce literas  
Andreae Grunthlero meo viro reddas, ut quid agam scire possit.  
Nihil habeo in praesentia quod ad te scribam. Commendo tibi  
nostra negocia, remitte ad me quamprimum meum virum. Bene  
vale. Saluta uxorem et filiolum, D. Chilianum et Hosvaldum  
meo nomine. Tibi, uxori et filiolae D. Lavinia salutem pluri-  
mam dicit.

Ferrariae, Calendis Iunii, [1549].

## X

OLYMPIA MORATA IOANNI SINAPIO S. P. D.

Cum in Germaniam venissemus pridie Idus Iunii, spera-  
bamus nos quamprimum isthuc ad vos venturos; sed nos diu-  
tius quam putabamus retinuit, et adhuc retinere cogitat, nobi-  
lissimus vir Georgius Hermannus. Cum hanc ob causam nihil  
hactenus literarum ad te dedi, tum etiam quia te cum principe  
tuo Augustam Vindelicorum venturum aiebat. Postea vero quam  
te videndi nos omnis spes frustrata est, te de nostro adventu  
certiorem facere volui, ut nos salvos advenisse gaudere posses.  
Vale.

In Kauffbeuren apud Vindelicos, 8 Calendas Septembris, anno 1549.

## XI

OLYMPIA MORATA LAVINIAE RUVERENSI S. D.

Magnam ex tuis literis cepi voluptatem, quod, ut optaram, quid ageres et ubi esses cognovi. Siquidem sollicita eram ne prius te Romam conferres, quam me certiolem faceres, ut quo literas mitterem, nescirem. Itaque quod me hac cura liberasti, gratias ago, ingentes vero quod mihi in adiuvando Phannio studium tuum et operam polliceris. Id mihi, ne mentiar, tam gratum fuit, quam quod gratissimum: nam spem mihi nonnullam afferre videtur haec tua profectio, cum sciam quantum Romae tua auctoritas valeat. Praeterea venit mihi etiam in mentem, te isthinc discedente aliquid opis illi afferre posse; nam tibi discessurae non dubium est quin dux omne suum studium polliceatur. Eum igitur rogare poteris, ut si quid tua causa facere velit, ut illum absolvat, qui omni vacat culpa. Pro gravi peccato hoc supplicii satis esse deberet. Tu in hac re, quid optimum factu sit, pro tua prudentia considerabis, et haud ignara mali miseris succurrere discas, praesertim miseris et calamitosis non suapte culpa, sed Christi causa; cum te non fugiat, quicquid officii et beneficii in istos contuleris, id te Christum in se contulisse existimaturum. Plura de hac re non scribam, cum non sim nescia, illius salutem tibi aequae ac mihi magnae curae esse: tantum te hortor ut ne malevolentissimis hominum obtestationibus magnitudinem animi tui inflectas in his, quae ad Christi puram religionem pertinent.

De meis autem rebus, quid novi ad te scribam nihil habeo. Sumus adhuc apud illum Hermannum, sed in alio oppido, quod iter unius diei ab Augusta Vindelicorum abest, ubi et dolorem, quem e morte mei consobrini cepi, et tui desiderium literis nostris lenire conor. Est enim mihi nunc summum otium, ut cum maxime refero me saepe ad divina studia, quod et tibi faciendum censeo, maioremque ex eis in dies voluptatem capio. Tibi vero gratulor, quod Romam sis itura; lubentius te illuc

fore, quam isthic existimamus, et tuorum praesentiam sollicitudines tuas, quae te cruciant, allevaturam non dubito; quo si Cherubinam foeminam optimam tecum adduces, eam tibi magnopere commendo. Meam matrem, sorores, meosque omnes tibi commendatissimos esse cupio. Ego neminem praetermittam, quem Romam iturum sciam, cui ad te literas non dem: idem te facturam confido. Vir meus, qui cum saepe de te sermonem habeo, et qui te plurimi facit, tibi gratias agit, quod illi in tuis litteris salutem adscripseris. Idem tibi plurimam salutem impertit. Vale.

[Kauffbeuren, 1549].

## XII

OLYMPIA MORATA

NOBILISSIMAE MAGDALENÆ URSINAE S. P. D.

Etsi gravi eram dolore affecta morte mei consobrini, tamen cum esset ad me allatum de vestra profectio, facere non potui, quin prius isthuc ad vos scriberem; non quod esset ulla res, quam aut vestra scire interesset, aut mea scribere, sed ut exploratum haberetis, me vestri memoriam summa cum benevolentia tenere. Valet, et parentibus meis verbis salutem nunciate. Vale

[Kauffbeuren, 1549].

## XIII

OLYMPIA MORATA GREGORIO GYRALDO S. P. D.

Salvi in Germaniam pervenimus, ubi prolixè accepti sumus a Georgio Hermanno, regis consiliario, apud quem dies complures commorabimur; eum enim aegrum curat vir meus. Ego vero hic libentissime sum; totum diem me cum Musis delecto: nullis enim negotiis aliis ab illis abducor, saepissime refero me ad divina studia, maiorem ex istis, quam ex illis, et fructum et

voluptatem capiens. De viro meo bene existimatur. Res nostrae bono loco sunt, et meliore propediem ξύν θεῶν fore videntur. Haec te scire volui, quem scio nobis cupere et nostra gaudia gaudere. Vale.

[Kauffbeuren, 1549].

#### XIV

OLYMPIA FULVIA MORATA GRUNTLERA  
CAELIO SECUNDO CURIONI S. P. D.

Cum, multis ac maximis fluctibus iactata, me in Germaniam, tamquam in portum, contulissem, nihil mihi antiquius fuit, cum te isthic esse ex Georgio Thrace, viro optimo, Patavii intellexissem, quam ut ad te nostri studiosissimum scriberem, teque de rebus nostris tamquam familiarissimum certiolem facerem. Cum enim patri meo, dum in vita manebat, amicissimus fueris, hanc me tueri amicitiam debere existimavi, πρέπει γὰρ τοὺς παῖδας, ὥσπερ τῆς οὐσίας, οὕτω καὶ τῆς φιλίας τῆς πατρικῆς κληρονομεῖν. Scito igitur abhinc biennium patrem meum, multis exantlatis laboribus, singulari in Deum fide, ex hac turba et colluvione discessisse; me vero post mortem illius (ut sapientius a Graecis συμφορὰν, quam a Latinis calamitatem, appellari iudices) statim a principe mea desertam, indignisque acceptam modis fuisse: neque mihi hoc separatim a meis sororibus accidet, sed hos fructus omnes a nostris principibus retulimus, nimirum pro labore tulimus odium. Quanto vero fuerim dolore affecta, tu existimare potes. Nullus erat qui nos respiceret, et tot nos res eodem tempore circumvallabant, unde emergi nunquam posse videbatur. Sed ille optimus pupillorum pater non me diutius in hisce malis, quam biennium, reliquit: qui amorem mei in quodam germano, philosophiae et medicinae artibus excellenti, Andrea Grunthlero (nam illi hoc est nomen), excitavit, qui nullo principis odio, nullis meis miseriis deduci potuit, quin me in matrimonium duceret. Hic igitur me in Germaniam duxit, ubi

aliquot dies apud Vindelicos cum Georgio Hermanno, regis consiliario, fuimus, quem vir meus egrotum curavit: hinc brevi in patriam mei viri, quae in Francia orientali sita est, ituri sumus, et ibi menses aliquot cum affinibus et amicis consumemus. Quanta autem vir meus sit probitate, quam literis graecis et latinis eruditus, malo te ex aliis quam ex meis literis cognoscere. Hoc tantum te scire volo, si cum principe mea summa mihi gratia fuisset, si me ditasset, non potuisse me in meliorem statum collocari, quam in quo misera et spoliata sum a Deo collocata. Doctus est, non infimo loco natus, cui etiam pater aliquid patrimonii reliquit. Tantus vero est eius amor in me, ut nihil supra possit esse. Eandem opem Deum meis sororibus laturum confido; eas Ferrariae apud matrem reliqui; tres enim habeo, et eas nobiles; fraterculum annos octo natum huc mecum adduxi, quem literis graecis et latinis, quantum in me est, erudire conor. Haec omnia ad te scribere volui, non ut nostris malis laborares, sed ut nobis gratuleris. Fautor enim nobis Deus in nostris aerumnis extitit, immo omnia haec mihi contigisse laetor: ego enim si diutius in aula haesissem, actum de me ac de mea salute fuisset. Nunquam enim, dum ibi fui, quicquam altum aut divinum suscipere potui, neque libros utriusque Testamenti legere. Sed posteaquam princeps malevolentia et obtreactionibus quorundam improborum a nostra familia alienata fuit, non me tam miro desiderio haec brevia, fugacia et caduca affecerunt: sed Deus cupiditatem meam incendit habitandi in illa coelesti domo, in qua iucundius est dieculam unam commorari, quam annis mille in istis principum aulis, et ita me ad divina studia retuli. Cuius rei testimonium sunt carmina, quae superiore anno feci, quae subscripta eo ad te mitto, ut videas ocium mihi tot calamitatibus oppressae, literis operam dandi Deum praestitisse; qui me etiam illi viro nuptum dedit, qui magnopere hisce meis studiis delectatur. Atque haec de rebus nostris. Quid vero tu agas, quid uxor, cum aliquid ocii nactus eris, familiarissime ad me perscribas velim. Vale.

Augustae, Nonis Octobris, [1550].

## XV

OLYMPIA MORATA GRUNTHLERA CAELIO SECUNDO CURIONI S. D.

Gratissimae mihi tuae literae fuerunt, ex quibus intellexi tam longum et temporis et locorum intervallum nihil de tua erga nos benevolentia detraxisse. Tales nimirum christianorum amicitiae esse solent. Grates itaque ago Deo meo, qui me tali dignatur honore, ut a suis amer. Impios enim quantumvis sint potentes, dites, nobiles, vel etiam eruditi, non magnifacio, sive me oderint, sive amare videantur. Quapropter etiam tuum de meis carminibus iudicium gratissimum mihi fuit. Nam te cum maximi faciam, si aliud id esse intellexissem, ab hoc scribendi studio me deterruisses: nunc autem cum a piis hominibus illud, praesertim a te non improbari videam, quantum in me erit, in hoc elaborabo.

Quod autem nos rogas, ut si quando in Italiam redeamus, iter isthac faciamus, ego nos eo unquam profecturos affirmare non possem. Non enim hoc animo huc venimus, ut iterum Italiam petamus; nam te non fugit, quam sit periculosum illic christianum se profiteri, ubi potestatem habet tantam Antichristus: qui iam, ut audio, in sanctos ita bacchatur et ita saevire incipit, ut ludum iocumque dicas alterum illum fuisse, prae ut huius rabies quae dat; in omnes urbes Italiae enim suos Corycaeos misit, neque ut ille alter, ullis principum precibus flecti potest. Superiore enim anno, nescio an tu audieris, Phaninum quendam pium virum, constantissimae fidei, cum in carcere fere biennium fuisset (nunquam enim neque metu mortis, neque coniugis vel liberorum amore a veritate desciscere voluit) suffocari, deinde corpus cremari, nec hoc contentus, ossa in Padum proiici iussit. Quare, licet meorum maximo desiderio tenear, tamen in ultimas terras proficisci mallet, quam eo redire ubi ille tantopere saeviendi potestatem habet. Si vero hinc nobis discedendum esset, nusquam alio libentius, quam ad vos proficisci velim. Viderer enim mihi apud meos esse, si vobiscum



vitam agere contingeret. Quamobrem si istic vel aegros curando, vel publice legendo, suo munere fungi posset vir meus, libenter, vel mea causa acciperet conditionem. Si hoc fieri posset, nihil mihi iucundius accideret. Essem etiam Italiae propinquior, ita ut saepius ad meam charissimam matrem, sororesque meas, quae mihi ante oculos noctes diesque versantur, scribere et ab illis literas accipere possem: quod hic perdifficile est: accepi tamen hoc mense, satis longo intervallo.

Et quia scio te nobis omnia cupere, mea interesse videtur, ut de illis te certiore faciam. Serviebant meae sorores una Helinae Rangonae Bentivolae; altera eius filiae, quae Mediolani nupta est, quam cum ad te scripsi, Ferrariam venisse arbitrabar, sed cum se dare in viam cogeretur, et omnia parata essent, adolescens quidam, unicus filius, satis locuples, hoc audiens, eam abire non est passus, sed nullam petens dotem, in matrimonium duxit; quae mense maio hoc anno Ferrariam matrem invisit una cum suo sponso, et apud eam dies aliquot commorata est; alteram Romam secum abduxit Lavinia Ruverensis Camilli Ursini nurus, qua ego nullam doctiorem in Italia novi, et quod omnium maximum est, pia est. Ita Deus mirifice cum sanctis suis agit; quemadmodum etiam superiore anno, cum Wirceburgi apud Sinapium essemus, in maximo periculo nobis praesto fuit. Nam fraterculus meus, quem mecum habeo, e fenestra sane excelsa super aspera saxa decidit. Eum omnino moriturum putabamus; aut si viveret, ἀδυνατώτατον Sinapio et meo viro esse videbatur, eum non in epilepsiam incidere. Sed non plus mali habuit, quam si humi cecidisset; et locus est adeo excelsus, ut adhuc meus animus meminisse horreat. Verum de hoc tanto Dei praesidio ad matrem scribere non sum ausa. Non enim adduci posset, ut eum, nisi videret, vivere crederet. Haec habui quae de meis tibi scriberem.

Hoc unum autem te rogare velim, ut si librum illum *de instituendis liberis* a te compositum habes, qualem in aedibus Sinapii legi, ad me mitteres, ubi commodum erit. Cupio enim eum legi diligenter a mea sorore, quae Mediolani est. Si tuum etiam illum *Pasquillum* latine scriptum haberes, nos et aliquot viri boni, qui hic sunt, legeremus.

Habes epistolam satis verbosam; non enim vereor, ne te scribendo expleam; praesertim cum intellexerim, in hoc genere te studium meum non aspernari. Sed tamen cum unum adiecero, finem faciam. Necesse enim arbitror tibi respondere ad id, quod ex me quaeris, an aliquid pepererim. Hos foetus, quos eodem die et eadem hora, qua tuas literas accepi, edidi, ad te mitto, haec scilicet carmina, hic adscripta. Dialogum etiam latinum, quem nuper composui, cum descripsero, ad te mittam. Nullos alios foetus edidi, nec edendi hactenus mihi spes est. Te vero, doctissime Caeli, rogo, ut quid agat uxor, quot habeas istic liberos, quid discant, ad me diligenter perscribas. Omnia enim tua mihi maximae sunt curae. Cum autem ad me literas mittes, ad Sinapium nostrum Wirceburgum mitte. Hoc oppidum a Wirceburgo tantum iter unius diei abest. Vale. Maritus meus vobis omnibus S. P. D.

Suinfordii, Calendis Octobris vesperi festinans, [1551].

## XVI

OLYMPIA MORATA LAVINIAE RUVERENSI URSINAE S. P. D.

Epistolam satis longam ad te hac aestate dederam, cui cuiusdam docti ac pii viri dialogum adiunxeram; an acceperis, nescio: perraro enim literae hisce turbulentissimis temporibus redduntur, quibus omnia bello ardere videntur. Sumus praeterea longissimo locorum intervallo, ut antea ad te scripseram, disiunctae. Quare, mea Lavinia, si minus meas accipis, quemadmodum neque ego a te praeter unas, posteaquam hic sumus, accepi, noli putare id aut negligentia mea fieri, aut tui oblivione. Si haberem cui darem, neminem praetermitterem; ad meam quoque matrem, de qua semper sollicita sum, quotidie, si fieri posset, scriberem: tantum enim abest, ut vestri oblita sim, ut mihi quidem quotidie augetur magis de vobis aegritudo. Et sane nisi hoc solatium mihi Germania daret, quod eos theologiae libros habere licet, quibus istic carendum fuisset,

desiderium meorum ferre non possem, praesertim tui, quae mihi semper in medullis haeres, tuique semper in meis precibus mentionem facio. Magnae mihi curae est tua salus, semperque vereor, ne dies noctesque solliciteris, ut soles, et te curis conficias. Propterea licet occupationibus maximis distinear, relictis tamen omnibus, hunc dialogum tua causa componere volui, ut saltem dum legeres, animum a tuis molestiis abduceres. Suspitor enim, cum bellum sit in Gallia, virum tuum abs te discessisse, et te tuo more cruciari: ideo in dialogo aliqua quae tibi convenirent, et si non omnia, interspersi, ut videbis. Mitto etiam D. Martini scripta quaedam, quae cum legerem, valde me delectarunt, ut te quoque afficere et recreare possint. Incumbe per Deum in haec studia, implora ut te vera religione illustret, non feres repulsam. An credis Deum mentiri? quorsum tot promissa omnibus suam opem implorantibus fecisset, nisi ea servare vellet? omnes miseros ad se invitat et allectat, neminem excipit. Quamobrem depone illum veterem errorem, quo hactenus ductae fuimus, cum putaremus, priusquam eum invocarem, scire oportere, an ab aeterno tempore nos elegisset; quin potius, ut ipse iubet, prius ab illius misericordia imploremus, et cum hoc fecerimus, nos in numero electorum esse certo sciamus. Cessatum usque adhuc est, nunc porro expergiscere, et considera iam, non quae tecum colloquatur, sed qualia, et cuius sint haec dicta. Vale.

Suinphurdii, [1552].

## XVII

OLYMPIA MORATA LAVINIAE RUVERENSI URSINAE S. D.

Valde dolui me eo tempore accepisse tuas literas, quo respondere non potui; non enim ignoras, quam difficile sit hybernis temporibus reperire cui literas demus. Ad malum hoc etiam accedit, quod iam maiore locorum intervallo disiunctae simus, quam eramus superiore aestate. Nam cum tu Romam veneris,

nos vero Suinphurdium in patriam mei viri, propter Hispanos, quos cum Imperator huc misisset hybernandi causa, Senatus in patriam accersivit maritum meum, ut eius opera uteretur. His igitur de causis statim, ut optabam, tuis suavissimis literis respondere non potui, quae me partim molestia, partim laetitia affecerunt. Facere enim non potui quin Phannii, viri magna pietate praediti, morte non commoverer, licet postea eius magna constantia meum dolorem leniret. Laetata vero fui, quod sororem meam tecum adduxisti, eoque maiorem cepi ex parte laetitiam, quia improvisum inopinatumque hoc accidit. Certe affirmare non possum utrum plus doloris acceperim ex iniuriis, quibus affectae fuerunt, an voluptatis ex Dei praesidio, qui tunc, cum maxima esset consilii inopia, cum de nobis actum esse putaremus, nobis praesto fuit, atque ex aerumnis extraxit, quod ab eo fieri non solum in Italia experta sum, sed etiam in Germania saepissime. Nosti enim diabolium nobis ubique insidias tendere, e quibus nisi Deus nos eriperet, ne unum quidem diem viveremus. Quare illi gratias ago immortales, quod nos respiciat, teque, quia in hoc opera tua uti voluit, valde amo, meque tibi eo magis debere existimo, quod ultro, antequam rogata esses, hoc beneficium mihi dedisti: gratia namque cum fieri properat, gratia grata magis. Vale.

Suinphurdii, [1552].

## XVIII

OLYMPIA MORATA ANTONIO HERMANNO S. D.

Arca nostra cum libris huc advecta est. Maximas tibi gratias ago, quod in hac re tuum erga nos studium declarasti. Utinam etiam aliquando referre possemus. Has literas Patavium mittimus; fac, quaeso, cum tuo commodo fieri poterit, ut illas Laurentius noster, vir cum primis pius, accipiat. Vale.

[Suinphurdii, 1553].

## XIX

OLYMPIA MORATA LAURENTIO SCHLEENRI S. P. D.

Nos tandem libros nostros accepimus, quare gratias tibi agimus ingentes, quod hoc studiose diligenterque curasti. Avicennae liber non erat in arca: si quid autem tibi debetur, fac nos certiores, et pecuniam tibi curabimus. Nos adhuc in patria comoramus, neque nobis propter haec bella hinc discedendi fuit potestas. Ad te perlatum esse credo, ducem Saxoniae liberatum fuisse, et suam pristinam dignitatem obtinuisse, ἀλλὰ ταῦτα μὲν δὴ ταύτη. Unum autem a te summopere contendere volo, ut de rebus Italiae ad nos scribas quamprimum si vacabit, praesertim de ingrata mea patria Ferraria. Mensis hic igitur decimus quartus, cum nihil de matre mea audivi, et cum saepe ad ipsam et ad affines amicosque omnes perscripserim, tamen nemo mihi rescribit. Quamobrem statui has, quas tuis adiunctas vides, ad te mittere, ut tu illas ad matrem perferendas cures, et dispicias, quamam ratione possit, ut quid agant, intelligam. Hoc mihi gratius facere nihil poteris, quod ut facias te etiam atque etiam oro, perque tuam pietatem obtestor. Vale.

Suinphurdii, [1553].

## XX

OLYMPIA MORATA HERMANNO FILIO S. D.

Scripsit ad nos perhumaniter parens tuus, conditionemque nobis talem obtulit, qualem libenter acciperemus; sed incurrimus in quandam difficultatem, quae nonnunquam nobis impedimento fore videtur: quod cum a te expediri posse arbitrarer, id quale esset meis literis tibi significandum putavi, quo nobis in hac re opem tuam feras. Haud te clam esse existimo, nos sub Christo merere, eiusque militiae sacramento ita obligatos

esse, ut ab eo si discesserimus, poenas daturi sempiternas simus. Nam talis et tantus est Imperator, ut non solum vitae necisque in suos milites potestatem habeat, sed et eos aeternis suppliciis mulctare possit, nec patitur quemquam suorum utraque sedere sella. Quare hoc nobis maximae curae esse debet, ne metu hostium scutum abiiciamus, neque nos temere periculis offeramus. Nam in eum peccaremus. Hoc igitur timens, te etiam atque etiam vehementer rogo, ut nos tuis literis et tuorum amicorum, qui Linceam urbem incolant, certiores facere velis, an Antichristus ibi ita saeviat, ut ad aures nostras fama pervenit, an animadvertant in eos qui missae eorum non intersunt, et pura religione Deum colunt. Nam sic stat sententia nos perversam ac impiam religionem colere nolle, et nos Christianos profiteri. Quod si, ut solent in aliis locis, Corycaei Antichristi nos observarent, et cogere vellent interesse suis sacris, eo omnino nobis accedendum non esset; nam, ut iam dicebam, in Deum peccaremus. Hoc tu nobis effectum dare posses, hoc est, nos admonere; quod ut facias, te rogo atque obsecro. Vale.

[Suinphurdii, 1552].

## XXI

OLYMPIA MORATA

DOCTORI VALENTINO CARCHESIO S. P. D.

Magna molestia affecti sumus, quod eo tempore venisti in Germaniam, quo quidem tempore nos videre non potuisti. Nos adhuc animo suspenso et sollicito scire avemus, quid rerum in Italia geratur, praesertim quid mei agant: nam ex illa epistola adeo exigua scripta, nihil fere eorum intellexi, quae ex te cognoscere potuissem; fuissemusque tibi de hoc tuo honore coram gratulati; quod cum non licuit, per literas id agere decrevi. Nos itaque, mi Valentine, tibi gratulamur, optamusque ut haec res tibi prospere eveniat. Has literas apertas ad te mitto propter haec suspiciosissima tempora, quas ut matri reddas, oro, et nos

ei valere dicas, atque verbum unum cave de istis maximis calamitatibus, quod illam cura et solitudine afficere possit. Deus nos tuetur et conservat: hactenus praesto fuit, ut dubium non sit eum posthac etiam suam opem et auxilium nobis esse laturum. Plura scribemus, si tempus ita feret, et ad te misissem psalmum, quem nuper versibus graecis mandavi. Salutem nostris verbis herae tuae nuncia et aliis si qui sunt, qui nobis cupiant. Vale.

Suinphurdii, [1553].

## XXII

OLYMPIA MORATA

GEORGIO HERMANNO REGIS CONSILIARIO S. D.

Te eas literas, quas ad te superioribus diebus aurigae nostro dedimus, accepisse puto, quibus et de nostra valetudine, et itinere nostro vobis significavimus. Nos adhuc Wirceburgi apud Sinapium sumus: hinc enim non discedemus, quoad nobis nostrae sarcinulae, quae adhuc Bambergae sunt, advehantur. Si quaeris quid agam, literis me abdo, et saepe legens totum produco diem; maiorem levationem non reperio. Vir meus similiter suis studiis se delectat. Fraterculus autem meus ut experiundo sciremus, Deum angelis mandasse ut tollant manibus filios suos, ne cum cadant offendant ad lapidem, de fenestra excelso loco in terram super horrida saxa paucis ante diebus decidit, sed illi nihilo plus fuit mali, quam si humi cecidisset. Nihil perfregit, nihil se confecit mali. Valet atque vivit, non sine magna omnium nostri admiratione. Est enim incredibile et praeter naturam, ex tam gravi casu nihil mali ad eum devenisse: ita Deus qui mortuos etiam ab inferis excitare potest, suos incolumes tueri et conservare solet, cui nos omnes commendo et trado. Vale.

Wirceburgi, [1550].

## XXIII

OLYMPIA MORATA THOMAE LUCIO S.

Etsi valde doleo me tibi tam saepe meis literis molestiam exhibere, tamen cum tua pietas mihi in mente venit, facere non possum, quin ea a te petam, quae fides pietasque postulat. Scis autem quantum matri debeam, cum quia mater est, et in me omnia matris officia contulit, tum etiam quia mulier est pia, et viro orbata. Nam non es ignarus quanto studio nobis Deus viduas commendet. Pietate igitur adducta, ad illam aliquot nummos aureos mitto: te rogo, ut illi in manus literas tradas, ne pecunia amittatur: hoc beneficium non ipsi, sed Christo dabis.

Caeterum quod ex viro meo cognoscere cupis de rerum Germanarum statu, cum ipse scribendi spatium non habeat, pro illo tibi respondebo. Nihil adhuc in Germania certi est. Imperator quidem est Augustae, et plerique omnes alii Germaniae principes; sed quid ibi agere velint, nullus scit. Dixit quidem Tridenti comitia se instituere velle, interim ut omnes sui interregni de religione leges servent, quibus nemo adhuc parere coactus est; sed ut antea omnes suo arbitratu vivunt. Quod autem te iamdiu nihil de Sinapio intellexisse scribis, nobis adhuc eum videre non contigit, quia Augustam est secutus suum episcopum; sed ex eius literis eum esse Herbipoli et valere intelleximus. Haec habui, quae ad te scriberem. Vale.

Wirceburgi, 1551].

## XXIV

OLYMPIA MORATA VALENTINO CARCHESIO S.

Quid novi in praesentia ad te scribam non habeo: non enim mea interesse puto de bellis, quae Germaniae impendent, scribere: nunciabunt alii, multa rumor etiam perferet: ego nisi quae certa sint, a me scribi oportere non existimo. Quare in proximi



literis, quas ad te scripsi, nisi certum exploratumque mihi fuisset, concionatorem nostrum esse virum bonum, nunquam eum laudassem. Unde vero coniecturam faciam, eum esse talem, nisi ex illo Lydio lapide, quo homines probari prophetarum apostolorumque scripta prodiderunt? hoc est, ἐκ τῶν δύο γενῶν, quales ille perpessus est, et adhuc perpessurum, si res tempusque postulabit, apparet. Nulli enim in his periculosis temporibus blanditur, et invehitur in eos, ut concionatorem decet; quibus si adularetur, facilius rem familiarem augetet. Aequalem ac parem verbis vitam agit. Nonnulli praeterea alii viri boni hic sunt, ἀναγεγενημένοι ἐκ σποράς ἀφθάρτων διὰ λόγον ζῶντος θεοῦ, quorum causa hic libenter sumus, lubentissimeque tibi istas ollas Aegyptiacas concedimus. Sed de his hactenus. Gratissimum mihi fuit, quod meae matris literas ad me miseris; ex tuis literis vero scire cupio, quid agat eruditissimus noster Lylus Gregorius, εἰ ἔτι ποῦ ζῶει καὶ ὡρᾷ φάος ἡελίοις, cui nostris verbis salutem nuncies te rogo, nec non doctissimo iuveni Iosepho Brixensi, qui apud Chavanum versatur. Scribe saepe quid tu agas, quid istic agatur; in primisque sacros libros diligenter pervolve. Cave ἔργον πάρεργον ποιήσης. Herae tuae Agnesae, architriclinoque salutem dic. Sed heus tu, in aurem dicito, nequis sibi ab Olympiae nomine metuat, etiam alios quos amo, nisi illos meo nomine audito posse exhorrescere vereretur. Vale.

## XXV

OLYMPIA MORATA ANTONIO HERMANNI F[ILIO]. S. P. D.

Clarissime vir,

quanta diligentia negocia nostra curaveris, ex proximis tuis literis intelleximus, tantumque vobis nos debere existimamus, quantum persolvere difficile. Quare studium vestrum vestraque benevolentia facit, ut quotiescumque nobis vestra opera opus sit, ea uti non dubitemus. Itaque summe a te contendere volui,

ut semel dumtaxat, ad Milichium, ubi commodum erit, scribere ne graveris, ut ille quascumque literas a nobis acceperit, eas reddi curet. Si semel hoc illi significaveris, facilius ad meos literas dare, et illorum accipere potero: nihil vero mihi iucundius in extera natione, quam de rebus meorum certior fieri, et de nostris illos certiores facere. Hoc si feceris, de tuis erga nos officiis mihi gratissimum erit. Si tibi graves sumus, tuae humanitati attribuito. Vale.

Suinphurdii, [1552].

## XXVI

OLYMPIA MORATA

GEORGIO HERMANNO REGIS FERDINANDI CONSILIARIO S. D.

Non quod tui ulla me ceperit oblivio, raras meas literas accipis, sed quia nulla res fuit hactenus, de qua ad te a me scribi oportere existimaverim: nunc vero cum scire cupias, an in animo habeam eo me conferre, ubi Deus optimus maximus nobis conditionem offerre velle videtur, ego brevi quid sentio dicam. Cum me Deus illi vero, quo mihi in hac vita nihil charius est, connubio stabili iunxerit, cumque per Alpium iuga secuta sim, posthac etiam inhospitalem Caucasum, vel Occidentis usque ad ultimum sinum forti sequerer pectore. Quod cum illi sit cordi eo proficisci, et mihi gratum est: decet enim me ad eius voluntatem conformare, a quo honeste dissentire non possum. Omne solum forti patria est, modo illic nos Christianos aperte profiteri liceat et sacris pontificum non uti, remigio veloque festinabimus. Unum interim te rogare velim, ut nos de hac re certiores facere velis, nosque si eo proficisci contingat, si quos illic pios et doctos nosti, illis commendes; tibi pro hoc beneficio si minus ad referendam gratiam satisfacere poterimus, ad habendam certe satis sumus facturi. Vale.

Suinphurdii, [1552].

## XXVII

OLYMPIA MORATA MICHAELI WEBERO ADOLESCENTI S. P. D.

Quum matrem tuam ob summam pietatem plurimum amemus, facere non possumus, quin eius gaudia solide gaudeamus. Quare magnam laetitiam et voluptatem cepimus ex tuis literis ad virum meum datis, cum quia pietatis tuae specimen dederant, tum etiam quia indicium fecerunt, quid in literis profeceris; de hocque tanto bono matri tuae sum gratulata, quod sic animum ad studia literarum applicaveris, neque (quod vulgus adolescentium solet) discum, quam philosophum audire malueris. Magnum est tibi (mihi crede) munus a Deo datum, si te huius seculi malis moribus, quorum iam licet maximam metere messem, ut ille ait, corrumpi non sinis; isthuc Deo acceptum referas, si τῆς λεωφόρου μὴ βαδίσεις. Quapropter mihi gaudeo, tibi gratulor, optoque ut haec opinio, quam de te habeo, in dies magis magisque duplicetur, quo matrem tuam gaudio delibatam, et nos tui studiosos ex amicis amicissimos reddas, in primisque ne in Deum, qui te in hanc mentem impulit et tibi ingenium dedit, impie ingratus οὐ γὰρ ἀπόβλη τά γε Θεοῦ ἐρικηδέα δῶρα. Quod autem adeo sollicitus es, ne haec tristia tempora te a tuo cursu revocent, nihil est quod sic animo angaris, non multum damni facies in hoc: nam non minor est virtus, quam quaerere parta tueri; poteris librum aliquem tuo Marte legere, dum cares praeceptore; nec enim omnia a praeceptoribus traduntur, sed ipsi tanquam digitum ad fontes intendunt. Si mihi auscultabis, librum aliquem diligenter leges, quem tibi utilem fore putabis: (nam mihi tuorum studiorum ratio nota non est) eum pervolutabis, ac in eo uno elaborabis, quandoquidem praestat unum aliquid insigniter agere, quam multa mediocriter, ut ait Plinius ille iunior. Hoc si facies, matrem tuam de hoc sollicitam valde levabis. Sed ne currentem incitare videar, hic modum faciam, si te prius hortata fuero, ut omni animi impetu totoque pectore ad studia sacrarum literarum incumbas, quae sola te, quid sit

pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non, edocebunt, teque meliorem reddent, ac in istis aerumnis sua te consolatione sustentabunt. Bono animo esto, Deus te non deseret, qui suos etiam in summis periculis versantes tueri ac conservare solet, ut ille ait: « Dominare in medio inimicorum tuorum ». Plura ex iisdem fontibus haurire poteris. Nos tibi uti debemus in quibuscumque rebus poterimus operam nostram et studium navabimus. Vir meus te plurima impertit salute; qui tuis literis, si ei ocium fuisset, respondisset, pro quo tibi ego respondi. Vale. Christus te tueatur.

Suinphurdiae, duodecimo Calendas Decembris, 1552.

## XXVIII

OLYMPIA MORATA IOANNI SINAPIO S. P. D.

Vir meus proxime ad te literas dedit, et tua filiola simul, quas omnes an acceperis, ignoramus. Ego has ad Antonium Hermannum, ut vides, mitto, quo meas literas Patavium ad Laurentium perferendas curet. In animum enim induxi, cum tanto temporis intervallo nihil literarum acceperim, ab eo expiscari quanam causa sit, quae huic rei tantam producere moram possit. Tua filiola valet, et quotidie aliquid addiscit, εἰ δὲ μικρὸν ἐπὶ μικρὸν καταθεῖο, nosti reliqua. De conditione illa si quid compertum habes, fac nos quam primum quaeso certiores: nam Senatum nostrum multum in hac re nos iuvare posse audivimus facturumque confidimus. Vir meus te plurima impertit salute et uxorem tuam, quam etiam meis verbis salvere iube. Vale.

Suinphurdii, decimo octavo Calendas Februarias, 1553.

## XXIX

OLYMPIA MORATA

PRAECLARISSIMAE D. LAVINIAE RUVERENSI URSINAE  
IN CHRISTO IESU S. P. D.

Laetata sum vehementer mihi in tantis nostris aerumnis occasionem ad te scribendi oblatam fuisse, quo te tamquam mihi amicissimam, et omnium mulierum charissimam (matrem excipio) de rebus nostris certiolem facerem, ut non tam nostram vicem dolores, quam de praesidio Dei nobis gratulareris. Scito enim nostram salutem iam longo tempore in summo discrimine versatam fuisse, et adhuc versari, nosque multis periculis undique cinctos fuisse. Nam et a maximo exercitu duorum episcoporum Wirceburgensis et Bambergensis, et a copiis ducis electoris Mauritii, ducisque Brunsvicensis et Norimbergensium praeterea obsessi fuimus, propter marchionis Brandeburgensis exercitum, quem ille in hac urbe collocaverat. Sed Deus ita nos texit et tutatus est, ut nullus (prorsus incredibile dictu) a tormentis illis, quae dies noctesque maximo cum impetu iactata fuere, interfectus fuerit; illorum impetum a nobis propulsavit et propulit, qui etiam in omnibus malis et damnis, quae bellum dare solet, praesto adhuc nobis est, nobisque in hac annonae caritate, quae maxima est, quae ad victum necessaria sunt, benigne adhuc praebet. Multos etiam fere ab inferis excitavit; nam contagione militum, quibus urbs refertissima est, morbus adeo gravis pene omnes cives invasit, ut etiam mentis dolore fere dimidia pars civium mortua sit. Affectus fuit etiam tali morbo mei amantissimus maritus, et ita graviter ac periculose aegrotavit, ut illius vitae pes nulla ostenderetur. Verum ille, qui solet ad inferos deducere, maximis et continuis ecclesiae precibus ac meis illum reduxit, mei misertus, quae tantum dolorem ferre non potuissem. In omnibus vero malis istis, unico solatio usi fuimus, verbo Dei, quo nos sustentavimus, et propter illud nunquam ad ollas Aegyptiacas respexi, sed mortem hic oppetere malebam, quam

alibi omnibus mundi voluptatibus frui. Et quamquam nondum liberati sumus hisce malis, tamen quia semper habuimus Deum tam praesentem, spem habemus, nos quando illi libitum et opportunum visum fuerit, liberandos fore. Tuum est etiam illum simul nobiscum comprecari, quo partu isto (nam iam novem menses laboramus) felices edamus foetus.

Haec habui quae ad te scriberem, et quibus te admone-rem, ut periculum ex nobis faceres, tibi quod ex usu esset. Nam haec omnia ob verbi Dei contemptum nobis accidere non dubitamus, ob quam causam Hierosolymam etiam funditus eversam fuisse constat. Quare toto pectore ad sacras literas incumbe, quae solae te cum Deo copulabunt, tibi errores, falsas opiniones eripient. Hoc unum erit tuum viaticum, quod hinc tecum ferre poteris; caetera omnia vel clarissima relinquenda erunt. Meam sororem, quae in clientelam tuam et fidem tibi data est, quaeso hortare ut idem faciat, cui pro tua humanitate has literas interpretaberis; angustiis enim temporis ad eam scribere non potui, et quia simul suppudebat, praeclarum heroa, qui has ad te perferet, meis literis onerare. Vale.

Suinphurdii, quarto Nonis Februariis, [1554].

Tibi plurimam salutem adscribunt maritus meus et fraterculus. Salutem tuis omnibus meis verbis nuncia nullo excepto. Iterum vale, mea suavissima Lavinia, quae mihi semper haeres in medullis, neque unquam tui me capiet oblivio, dum spiritus hos reget artus. Vale, vale et salve.

### XXX

OLYMPIA MORATA

PIO ATQUE ERUDITO VIRO MATTHIAE FLACCIO ILLYRICO  
IN CHRISTO S. P. D.

Cum multum diuque cogitassem, vir optime, qua ratione meos aliosque Italos locupletarem his bonis, quibus Germania adfluit, neque locum consilii in me ipsa, neque auxilii copiam

haberem, mihi in mentem venit, me id per alios doctos viros facile assequi posse; et cum mihi tua scripta te notissimum fecissent, tu primus occurristi, qui meis Italis in egestate coelestium bonorum, in multisque erroribus versantibus, magno adiumento fore visus es. Si autem libellum aliquem Lutheri germanice scriptum, in quo eorum publicos errores coarguit, in italicum converteres (nam ego Germanorum linguam nondum intelligo, alioqui laborem non fugissem) aut tu de eadem hac re aliquid italice componeres, quod profecto melius quam ego praestare potes, utpote qui sacrae scripturae libros pervolvisti, quos ego vix primoribus labris gustavi, multis viris piis certe te errores quibus ducuntur erepturum confido. Si ecclesiae causa pro qua et vitam profundere debemus, hunc laborem suscipere voles, quos hoc tuo divino beneficio in perpetuum tibi devincies. Magis autem ex usu illorum fore videtur; si italice scribas, quippe ipsorum multi literas nesciunt, quod ut facias te etiam atque etiam oro, perque Christum obtestor, qui sibi hoc beneficium datum putabit, et a quo, cum ego tibi gratiam referre non possim, pulchre tibi foeneratum duces. Pluribus verbis hoc a te contenderem, si Iohannes Cremerus noster affinis non tecum de eadem hac re per literas egisset, et si per se pietas non loqueretur. Unum autem a te peto, ut si tibi meae literae molestiam exhibuerunt, non id meae importunitati, sed tuae pietati, qua freta ad te scripsi, attribuere velis. Si tibi opus erit opera nostra, omnia nostra studia a nobis expecta; non fallemus opinionem tuam. Vale.

VII Calendas Iunii, 1553, Suinphurdii.

### XXXI

OLYMPIA MORATA CUIDAM CONCIONATORI GERMANO S. D.

Saepenumero mihi offerri occasionem tecum colloquendi maxime exoptavi, sed cum eam hactenus nancisci non potuerim, id tecum per literas agere decrevi, quod coram, si licuisset,

egissem: me enim rem differre amplius Christi praeceptum non patitur, cui nos parere et obedire necesse est. Cum itaque exploratum habeam te saepe peccare, ut te admoneam mihi peropus est, si Christi dicto audiens esse volo; quare tu etiam nullo pacto (si modo tu tecum rem recta reputabis via) mihi succensere debes, si omnino te admonendum putavi, quod praeter amplissimam ministerii tui dignitatem, praeter canitiem tuam facis, dum genio non minus indulges, quam Epicurus quispiam. Quod quam turpe sit, homini liberaliter instituto, etiam homines nulla christiana religione imbuti non ignorarunt: Christiano vero turpius, cuius vita sancte et integre acta, caeteros ad Dei cultum ac puram religionem suscipiendam invitare atque allectare debet; concionatori vero turpissimum qui, cum aliis monstret viam, ipse sibi semitam non sapit. Quippe si philosophus in ratione vitae peccans hoc turpior est, quod et in officio cuius magister esse vult, labitur, certe concionator turpissimus est, qui aliis vitam agendam inculcans ipse flagitiosissime degit. An non flagitium est ingens perpotare, ebriosum esse, abuti optimo Dei munere, quod nobis datum, ut eo cum gratiarum actione fruamur, non ut abutamur? Quid non ebrietas designat? nosti caetera. Sed quod a poeta omissum est, id vero multo maximum, quod ebrii plerumque obscena loquuntur, quod saepe execrantur, iurantque per nomen Dei sanctissimum (quod qui violabit, inultum id nunquam auferet); templum Dei sanctum hoc est, sui ipsius corpus polluunt et foedant; Spiritui sancto moestitiam inferunt: illum a se expellunt et eiiciunt: ipsi a precibus avocantur. Quod si olim Deus de eo qui templum Hierosolymitanum contaminasset, tam grave sumpsit supplicium, quid faciet ei qui tale templum inquinaverit? ut nihil interim dicam *περὶ τοῦ σκανδάλου*, quo maiestas ministerii imminuitur, Christus atque Evangelium dedecorantur, denique qui sic vivit, plus dedocet discipulos perditis moribus quam doctrina erudit: at qui mercedem accepit, ut doceat et dedocet, nonne furtum facit? Tu omnibus tuis discipulis exemplum esse deberes modestiae, sobrietatis et temperantiae, et tu ista turpi tua vita in flagitia eos immergis? Noli quaeso illud Christi oblivisci, *ὕμεις ἐγὲ τὸ ἅλας τῆς γῆς. ἐὰν δὲ*



τὸ ἄλλας μωρανθῆ, ἐν τίνι ἀλασθήσεται, εἰς οὐδὲν ἰσχύει ἔτι, εἰ μὴ βληθῆναι ἔξω, καὶ καταπατεῖσθαι ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων. Cogita de illa Pauli sententia: ἐγὼ ὑπωπιάζω μοῦ τὸ σῶμα, καὶ δουλαγωγῶ, μὴ πως ἄλλοις κηρύξας, αὐτὸς ἀδόκιμος γένωμαι. Quo ore hortaberis tuos discipulos ut te imitentur, quemadmodum Paulus suos a se exemplum petere iubet, an ut te imitentur potando, commessando?

Neque vero excusatione infirmitatis carnis hoc vitium defendere poteris. Scimus omnes homines delinquere, neque ullum reperiri qui careat culpa; sed qui veram fidem habent, hī τὴν σάρκα ἐσαύρωσαν σὺν τοῖς παθήμασι καὶ ταῖς ἐπιθυμίαις. Infirmi non semper infirmi manent, sed aliquando etiam fortes fiunt ut peccatum non amplius dominetur eis, et ebrietas tale scelus est, ut etiam qui Christum non norunt, abstinere possint. Scilicet credendum est Christianum propter innumerabilia Christi in se beneficia collata, sobrium esse non posse, cum Turcae propter perditum hominem et profligatum Machometum parce, continenter, sobrieque vivant, adeo ut ne vinum quidem gustent. Et si Paulus carnem in perpetuum edendam sibi non putet potius, quam fratri dolorem commoveat, tu saltem non dico a vino, sed hoc nefario scelere non abstinebis? non ut ne frater tuus dolore afficiatur et offendatur, sed ut ne magna hominum multitudo pereat. Neque vero debemus hoc peccatum verbis extenuare, nam Deus de illo ex nostra opinione non existimabit, sed secundum latam sententiam suam, qui ebrietatem in numero eorum flagitiorum reponit, quae qui adimit, Christi regnum nunquam possidebit. Quapropter te etiam atque etiam rogo, obsecro, perque Christum obtestor, ut tandem mutes mores istos, tum propter tui muneris functionem, tum propter σκάνδαλον, atque etiam propter salutem tuam, ne in extremo die in eorum sis numero, quibus dicetur ἀποχωρεῖτε ἀπ' ἐμοῦ οἱ ἐργαζόμενοι τὴν ανομίαν. Deus huc usque convivit, teque sua lenitate ad poenitentiam incitavit. Iam ferme tua aetas exacta est, respice, quaeso, ut Deum propter sanctimoniam et mutatos mores gloria honoreque afficiant, qui antea propter ebrietatem ignominia adfecerunt. Haec fac toto animo cogites, ne tandem Deus a te poenas expetat, et perpetuo pereas. Nam ut te non fugit, turpis ac

flagitiosa vita arguit fidem in Christum non adesse, sine qua prorsus pereundum est. Quamobrem eam a Deo petas moneo et hortor, priusquam te mors occupet: pete veniam, quam omnino poenitenti dabit, qui etiam iuravit se nolle sontis mortem. Haec habui quae ad te scribere me oportere existimavi, quae si christianus es, tantum abest, ut graviter feras, ut etiam te admoneri, gaudere, vehementerque laetari debeas. Vale in Christo.

Suinphurdii.

### XXXII

OLYMPIA FULVIA MORATA ANNAE ESTENSI PRINCIPI GUISIANAE  
PER IESUM CHRISTUM S. P. D.

Quamquam iampridem longo locorum intervallo disiunctae fuimus, Anna princeps illustrissima, tamen ex animo meo nunquam hactenus tui memoria discessit. Si ob multas iustas causas ausa fuisset, ad te meas literas dedissem: nunc autem, oblata occasione, cum quidam doctus et pius vir e Lotharingia huc profectus nos invisisset, nihil mihi potius fuit, quam ut quid tu ageres, ex illo percontarer. Cumque meas literas ad te perferendas se curaturum pollicitus esset, non putavi te tam animo duro fore, ut literas ab ea datas non libenter legeres, quae tecum a teneris annis educata fuisset. Scis enim quam familiariter (licet mea princeps et hera esses) tot annos inter nos vixerimus, et ut literarum studia nobis communia fuerint, quae merito mutuam benevolentiam inter nos conciliatam in dies magis magisque augere debent.

Equidem, princeps praeclara, testor Deum, tibi ex animo bene volo optoque; si qua in re possem tibi inservire (non quod ego rursus in aula agere vitam velim, nam id liceret mihi etiam hic) sed si tibi absens absenti vel consolando, vel quacumque alia re prodesse possem, id scito me libenti animo studioque singulari facturam.

Nihil vero magis cupio, quam ut serio ad sacrarum literarum studia te conferas, quae sola te cum Deo coniungere possunt,

et te in omnibus istius vitae miseris consolari. Ego certe nullum habeo solatium, nullam aliam oblectationem. Nam ut primum Dei singulari benignitate ab illa idololatria Italiae discessi, meque nuptam medico Andreae Grunthlero in Germaniam contuli, incredibile est quam Deus mutaverit animum meum, utpote quae prius longissime a divinis literis abhorruerim, iam illis solis me oblectem, et omne meum studium, operam, curam, mentem denique omnem, in eo locem, ut quantum fieri possit, haec omnia contemnam, divitias, honores, voluptates, quae quondam adeo admirari solebam. Quae sane vellem, optima princeps, etiam atque etiam tu considerares. Nihil est, mihi crede, stabile hic, omnia mutantur, et omnibus (inquit ille) calcanda semel via laeti, et cito: volat enim aetas: nihil divitiae prosunt, nihil honores, nihil regum favor: tantum vero illa fides, qua Christum amplectimur nos, ab illa sempiterna morte ac damnatione eripere potest. Quae cum sit donum Dei, eam ab illo maximis precibus petere debes. Non enim sat est Christi historiam nosse, quam et diabolus non ignorat, sed eam fidem habere oportet, quae operatur per dilectionem, quae efficit ut Christum profiteri audeas inter illius hostes, alioqui quem mei (inquit) puduerit, et me illius coram patre meo pudebit. Neque ulli unquam martyres extitissent, si suam occultassent fidem. Quapropter, mea suavissima princeps, cum Deus te tanto affecerit beneficio, ut suam veritatem tibi patefecerit, sciasque tot illos homines, qui iam istic comburuntur, innocentissimos esse, propterque Christi evangelium tot subire cruciatus; certe tuum est officium, ut eos, vel excusando regi, vel pro illis deprecando, tuam ostendas sententiam. Nam si taces aut connives, fersque tuos ita cruciari, comburique pateris, neque saltem verbis tibi id displicere ostendis; videris tacendo in eorum caedem conspirare, et Christi hostibus assentiri. At dices fortasse: — Si hoc ego facerem, possem mihi regem, vel maritum meum iratos habere, multosque alios inimicos capere —. Cogita satius esse, te odio esse hominibus, quam Deo, qui non solum corpus, sed etiam animam perpetuo igni cruciari potest. At hunc si amicum habueris, nemo tibi nocere poterit, nisi ille permiserit, in cuius manu

omnia sunt. Haec fac tecum animo cogites, Utinam intelligam te serio pietatem colere, et Deum metuere. Incumbe, obsecro, in sacras literas, et preces. Quicquid (inquit Christus) meo nomine a patre patieritis, dabit vobis. Memineris te mortali conditione generatam esse, neque audias illos qui dicunt: — Brevis est haec vita, ergo animo obsequamur, fruamur huius mundi voluptatibus —; quin potius Paulum audias, qui ait: « Si secundum carnem vixeritis, hoc est si corporis voluptatibus vos dederitis, perpetuo peribitis ». Plura alias in hanc sententiam scribam, si meas literas tibi gratas fuisse intellexero, curaboque ad te christianos libellos perferri, si Christum discere voles. Haec amore summo in te adducta scripsi. Cum enim me Deus ad summum coeleste regnum asciverit, eorundem aeternorum bonorum te participem fieri maxime vellem: quod si ita cecidisse, ut opto, intellexero, summam ex eo voluptatem capiam, gratiasque Deo agam ingentes. Vale.

Heidelbergae, Calendis Iunii, 1554.

### XXXIII

OLYMPIA MORATA D. ANDREAE GRUNTHLERO S. P. D.

Salve. Scire quamprimum cupio ut valeas, quid tu agas, et quid istic agatur, et quo loco sitae sint res; quid de reditu, aut quid de accersendis nobis cogites, mirum in modum sum sollicita. Quare omnia diligenter ad me scribas, oro; ut tu res se habet, nihil falsi me consolandi causa fingas; nam si quicquam est periculi, quod Deus avertat, id tecum subire impense cupio: quod si aliter facias, summa me iniuria a te affectam esse putabo. Sin autem nihil est mali, quod utinam Deus ita faxit, vide ut negotia nostra, si tamen tempus ita fert, conficias, et scribas, ne sarcinulae nostrae advehantur, si iter, quod verisimile est, non sit tutum. In primis, mi vir, in his malis velim cogites, nulum nos praesidium firmiter habere posse, quam Deum. Hunc quaeso cum aliis piis viris comprecare; nihil est quod piorum

precibus effici non possit. Nobis exemplo Heliae, qui etiam ipse ἄνθρωπος ομοιόπαδος ὑμῖν, ut inquit Iacobus καὶ προσευχῇ προσήξατο τοῦ μὴ βρέξαι, καὶ οὐχ ἔβρεξεν ἐπὶ τῆς γῆς ἑνιαυτούς τρεῖς καὶ μῆνας ἕξ. Commendate igitur vos Deo, totosque vos illi tradite; praesto vobis erit. At qui ego, quae alios consolor, consolatione egeo: summo enim dolore affecta sum, nec ullum aliud huic malo remedium invenio, nisi a Deo auxilium ut implorem, idemque ut vos omnes faciatis sedulo moneo et hortor. Scribe, quaeso, quando sim te visura, et cave ne te in viam des, nisi explore. Vale.

Decimo Calendas Decembris.

## XXXIV

OLYMPIA MORATA DOCTORI ANDREAE GRUNTLERO S. P. D.

Tuas literas accepi, et pergratum mihi fuit quod me hinc abducere cogitas, quod ut faceres, tibi hodie alioqui eram scriptura: nam certum est, principem adventare, ut bellum cum istis gerat, qui nihil timēt, hostibus fortiores se esse autumantes. Et bellum potius gerere velle videntur, quam pauxillulum pecuniae pro placandis hostibus dare. Ego vero, mi coniunx, te etiam atque etiam rogo, ne me hic relinquant. Sint alii licet securi, ego timeo, quia exploratum habeo, Deum adeo ab istis non stare; propterea fac, ut quamprimum ad nos curru veharis, ut redire possim. Bucinoriam quoque redituram credo, quamvis nollet hinc discedere, nisi illos prius propius accessisse inteligeret. Quod cavere possis, stultum est admittere. Perendie te expecto, dum iter est tutum. Malo in summa inopia in ecclesia Dei versari, quam hic vitam ducere et abundare omnibus rebus, praesertim cum periculo. Noli, quaeso, nostri oblivisci, et omnino me hinc abducas obsecro. Deo, cuius nutu hoc nobis successit, gratias agamus. Saluta omnes. Nostri hospites tibi salutem plurimam dicunt. Vale.

## XXXV

OLYMPIA FULVIA MORATA CHILIANO SINAPIO I. C. S. P. D.

Nihil ad tuas literas rescripsimus, quoniam puerum nostrum, qui ad vos, ut mala medica isthinc asportaret, profectus erat, tibi indicasse putabamus, ut ei diligenter mandatum erat, nos illi tuo affini, de quo scribis, nullam opem afferre posse, cum non mediocriter laboraverimus, ut alteri ex istis, quos iam tot menses aluimus, hic prospici posset; sed nihil effecimus. Adhuc Andreas Campanus urget, ut suum nepotem ad nos recipiamus. Mihi crede, si omnes Suinfordenses iuvare possemus, nihil nobis gratius neque iucundius esset. Etiam Andreas Rosius ludimagister, se vitam in summa egestate degere ad nos scripsit, velletque hic suam operam in erudiendis pueris navare, at pestilentia obstat. Tu si quid potes (potes autem plusquam nos) succurre illis miseris, et omni cogitatione curaque tu et Gotualdus ad adiuvandam patriam vestram incumbite: nos, quantum in nobis situm est, contendimus. Ex literis quas proxime ex Italia accepi, Ferrariae crudeliter in Christianos animadverti intellexi; nec summis, nec infimis parci; alios vinciri, alios pelli, alios fuga sibi consulere. Tu quid de fratre, ut sciam cura. Maritus meus te salutatur, salutem dicit tuae uxori et D. Andreae Gotualdo.

Heidelbergae, vii Calendas Februarii, [1555].

## XXXVI

OLYMPIA MORATA DOCTORI IOANNI SINAPIO S. P. D.

Literas tuas accepimus, quas nobis magister Vitus reddidit. Superioribus, quas ad me in lecto iacentem dedisti, cum essem Furstenaiae morbo impedita, respondere non potui: iam breviter utrisque respondebo. Primum gratias tibi agimus ingentes, quod

ex animo adeo nobis te velle significas. Scito itaque nos magis beneficiis et muneribus, primum ab illustri comite Rinecensi, deinde a nobilissimis affinibus eius comitibus Erbacensibus affectos fuisse. Iam ante aliquot dies Heidelbergam pervenimus. Maritus meus se ad lectionem parat: ego hodie in emenda suppellectile vehementer fui occupata, ut migremus in aedes nostras: nam huc usque apud quendam bonum virum diversati sumus. Cremero nostro scripsi, eumque vehementer rogavi, ut ad me anum coquam ex miseris illis pauperculis et vagis Suinphordensibus mittat, eamque quotidie vehementer expecto. Quod vero tu, D. Sinapi, filiam tuam apud me esse cupis, scias velim, illam mihi fore carissimam, cum ut aegritudinem meam in hac externa regione leniat, tum etiam ut uxori tuae vel mortuae gratificer. Ego certe quantum in me erit, ei non deero, maioreque eam, cum iam sit matre orbata, benevolentia complectar, quam antea. Quare si ad me eam non in aulam (nam ego omnino procul ab aulis aetatem agere cogito) mittere voles, te oro ut quamprimum id fiat: nam velim ut cum Cremero ageres, ut una cum ancilla, quam ei iam ante aliquot dies inquirendi negotium dedi, eam mitteres, et lectum etiam, quia in praesentia tot lectos emere non possumus, et hic sunt percari. Adferent etiam secum manticam nostram, in qua insunt reliquiae nostrae repertae. Adducerem eam nonnunquam mecum ad illustres comites Erbacenses, quorum probitas et sanctimonia est mihi perspecta. Habet comes Eberhardus tres filias egregia forma et sancte educatas, cum illis posset consuetudinem familiaritatemque iungere. Tu facito quod ex usu illi sit, modo si eam ad me transferri vis, ne moram propter ancillam interponas. Quam enim incommodum sit ea carere, cogitare potes. Plura alias. De Plutarcho multum te amo. Saluta omnes tuos domesticos et Licentiatum Faium, si non amplius est monachus. Salutant vos omnes maritus meus et frater, qui ad Theodoram scriberet, nisi esset domesticis negotiis nimis occupatus. Valet omnes.

Heidelbergae, [1554].

## XXXVII

OLYMPIA FULVIA MORATA ANDREAE CAMPANO S. P. D.

Ego propter meam adversam valetudinem coacta fui nudius tertius coquam hic conducere, qualemcumque reperi, quae singulis mensibus florenum poscit, hac lege etiam, ut pro se liceat sibi opus facere, adeo homines hic nihil pudet. Quoniam vero necessitas est durum telum, mensem unum hac mercede eam conduxim. Sed quia hos sumptus, etiam si satrapes sim, sufferre non possem, ego vehementer te et dominum paroecum vestrum rogo, ut mihi interea temporis opem feratis, ut post hunc mensem de alia ancilla mihi prospectum sit, sive anu quod ego malim, sive adolescentula. Ego matronae quinque florenos me daturam polliceor. Quaeso in hac re operam vestram nobis navate, memores nos dicetis et gratos. Puellulam, de qua tecum collocuta fui, vir quidam statim tuum post discessum in cista ad nos gestavit, quae etiam ipsa aegrotat. Bene vale cum coniuge et familia. Salutatur te maritus meus. Te oro, ut meis verbis uxori et paroeco vestro S. P. dicas, meque ei purges, si non fuit a nobis, ut merebatur, acceptus: nam tunc febris me invaserat. Vale.

[Heidelbergae, 1554].

## XXXVIII

OLYMPIA FULVIA MORATA ANDREAE CAMPANO S. P. D.

Quum maritus meus iam domi non sit, nihil habeo quod iam ad tuas literas rescribam, nisi mihi adhuc puella valde opus esse. Quapropter si aut tuam neptem, aut aliam ad me idoneam quamprimum transmittere poteris, gratissimum mihi facies. Ego propter mei charissimi mariti patriam optime erga Suinfordenses sum affecta; quamcumque ad me mittes, nulla a nobis afficietur



iniuria et pie educabitur. Cura ut valeas, et puellam vel mittas, vel, quod erit iucundius, ad nos, si tuo commodo fieri poterit, adducas. Saluta uxorem tuam meo nomine.

Heidelbergae, octavo Calendas Februarii, 1555.

## XXXIX

OLYMPIA FULVIA MORATA ANDREAE CAMPANO S. P. D.

Moleste fero puellam aliosque tuos aegrotare; si convalescat, me certiore facies statim, nam ego ancillari malo quam habere ancillas huiusmodi, quales hic reperiuntur; interim tu consolare tuos aegrotos Dei verbo, illosque sic instrue, ut si Deus ipsos migrare ex hac vita volet, paratos offendat. Quemadmodum enim pueri peccatum habent ex Adami contagione, ita carent etiam fide in Christum, quae precibus et auditu Dei verbi donatur. Haec non ut sus Minervam doceam, sed benevolentia adducta ad te scribo. *Commentarios in Epistolas ad Atticum* diligenter et apud bibliopolas, et apud amicos inquisivi, neque reperire potui. Magna hic est bonorum auctorum penuria. Si mihi fuissent, nihil mihi gratius quam tibi et in hac re, et in aliis commodare. Maritus meus te plurima impartit salute.

Heidelbergae, 4 Nonas Februarii, [1555].

## XL

OLYMPIA FULVIA MORATA P. P. VERGERIO S. P. D.

Iam pridem, vir optime, tuis literis rescripsissem, nisi morbus gravis me impedisset, a quo ne nunc quidem sum liberata. Iam vero diutius differre non potui. Maximum enim desiderium me tenuit ad te scribendi ab eo tempore, quo lectis tuis libellis tuum animum promptum atque alacrem ad ecclesiam iuvandam perspexi. In animum enim induxeram, te ecclesiae causa facturum

quod a te petiissem. Pudor vero me hactenus impedivit, ut ne ad te scriberem, simulque verebar, ne aliquam aliis suspicionem importarem me ostendandi, si prior te literis provocassem. Nunc autem abs te mihi datam esse occasionem vehementer laetata sum. Itaque primum ingentes tibi agam gratias pro tuis libellis, quos mihi donasti; postea, a te id contendam, quod antea petere non fui ausa. Id autem est huiusmodi, ut cum tu toto pectore ad ecclesiam propagandam incumbas, illius causa etiam M[artini] L[uteri] libellum, qui *Catechismus maior* inscribitur a Vincentio Opsopeao in linguam latinam conversum in italicam transferas. Quanto emolumento nostris Italis, praesertim iuventuti, futurum id sit, ex ipso libro, si diligenter persolveris, cognosces. Quapropter te etiam atque etiam rogo, perque Christum obtestor, ut tuorum fratrum causa, pro quibus etiam mortem oppetere debemus, hunc laborem suscipere velis. Porro de Sacramento magnam esse inter Christianos controversiam non ignoro, quae facile iamdudum esset dirempta, si homines non suam, sed in Christi gloriam, et ecclesiae salutem, quae concordiam continetur, in consilium adhiberent. Itaque ut eodem redeam, eum librum nostris hominibus magno usui fore existimo, si tu operam tuam illis in hac re navare voles. Quod ut facias, tanto studio a te contendo, ut maiore non possim. De Ferrariensi causa, eadem, quae tu scribis mense decembri, ex cuiusdam pii viri literis intelleximus. Neque id nobis, qui illam intus et in cute novimus, mirum visum fuit. Magis quosdam alios a Christo defecisse miramur. Matrem vero meam constantem fuisse in illis turbis, Deo gratias agimus, eique totum acceptum referimus. Eam oravi, ut ex illa Babylonia una cum sororibus ad nos proficiscatur. Maritus meus gratias agit, quod ei tuum studium offers. Eius animus in te talis est, qualis esse debet. Uterque maximo te oramus opere, ut, ne hoc tempus tibi oblatum nos invisendi praetermittas, exoptatus venies. Vale.

[Heidelbergae, 1555].

## XLI

OLYMPIA MORATA IOANNI INFANTIO BARRENSI S. P. D.

Cum tuis verbis Philotheus me salutare iussisset, perspecta tua humanitate, facere non potui, quamquam morbus adhuc gravis est, quo tuum post discessum afficior, quin ad te scriberem. Libelli atque literae tuae mihi gratissimae fuere, pro quibus ingentes tibi ago gratias. Quod citius fecissem, nisi me, ut iam dixi, morbus impedisset. Fuerunt enim mihi in lecto iacenti tuae literae redditae, neque hactenus ex illa adversa valetudine emergere potui. Quid de me fiet nescio: ego me totam Deo trado et committo, cupioque dissolvi et esse cum Christo. Plura nequeo: impedit enim febris, qua nullo temporis momento careo. Vale ergo, et Deum pro me comprecare. Salutatur te maritus meus. Saluta illos Italos, qui mihi in tuis literis salutem adscripserunt.

[Heidelbergae, 1555].

## XLII

OLYMPIA MORATA CAELIO SECUNDO CURIONI  
IN CHRISTO IESU S. P. D.

Ego, mi Caeli, nulla iam me excusatione apud te uti necesse esse arbitror, cur tuis literis iampridem ad me datis non responderim, cum bellum ipsum satis me tibi purget, quo quatuordecim menses ita vexati fuimus, ut nullam ex eo calamitatem non acceperimus. Nam ut primum Albertus marchio ob loci opportunitatem suum exercitum Suinfordii collocasset, tunc eius hostes, qui plurimi erant, urbem obsidere, ac eam oppugnare coeperunt, murosque ab omni parte suis tormentis dies noctesque pulsare, cum nihilominus etiam intra muros a militibus marchionis multis afficeremur iniuriis, neque quisquam domi suae satis tutus esset. Praeterea quoties non dissolvebatur eis pecunia, quae debebatur, tamquam a nobis accersiti aut conducti essent, omnia se civibus abripere velle interminabantur. Eratque

urbs tot iam milites alendo penitus exhausta, quorum etiam contagione morbus adeo gravis ferme omnes cives invasit, ut ex dolore plerique mentis errore afficerentur, ex eoque morbo dimidiam urbis partem mors consecuta fuit: quo etiam morbo affectus fuit mei amantissimus maritus, ita ut vitae eius nulla spes ostenderetur, quem Deus mei afflictissimae misertus nulla adhibita medicina (nihil enim in oppido medicamentorum erat) sanavit. Sed, ut ille ait, exitus alterius mali, gradus est futuri. Morbo illo a Deo depulso, mox a maiore hostium copia obsessi fuimus, qui ignem dies noctesque in urbem coniiciebant: saepe noctibus totum oppidum conflagratum iri putasses, atque illo tempore semper in cella vinaria latitare coacti fuimus. Tandem vero cum huius belli felicem exitum expectarem abitu marchionis, qui suum exercitum nocte alio abducturus erat, in maximam incidimus miseriam. Nam vix dum urbe egressus erat ille cum suo exercitu, cum postridie episcoporum et Norinbergensium milites in urbem invaserunt, ac eam compilatam incenderunt. Deus vero nos e mediis flammis eripuit, cum unus etiam ex hostibus nos admonuisset, ut ex urbe exiremus, priusquam ab omni parte arderet: mox enim eam prorsus comburendam fore. Cui parentes exivimus spoliati et nudati omnibus, ita ut ne obolum quidem licuerit efferre: imo in medio foro nobis vestimenta destracta fuerunt, neque mihi quicquam praeter linteam tunicam relictum fuit, quo corpus tegerem. Cum vero ex urbe essemus egressi, capiebatur ab hostibus maritus meus, neque eum vel minimo redimere poteram, et cum eum abduci ab oculis viderem, lacrimis et gemitibus, ἀλαλήτοις Deum comprecata fui, qui statim illum liberum ad me remisit.

Caeterum digressi iam ab urbe, quo nos conferre possemus ignorabamus: tandem Hamelburgum versus iter habere coepimus, quo ego vix perreptavi. Abest enim oppidulum tria milliaria germanica a Suinphordio, invitique cives illius oppidi nos recipiebant, cum esset eis interdictum, ne quemquam nostrum hospitio acciperent. Ego autem inter pauperculas videbar omnium mendicarum esse regina. In illud oppidum introivi nudis pedibus, capillis passis, veste concisa, quae ne ipsa quidem erat mea,

sed a quadam muliere mutuo mihi data, et ex illa itineris defatigatione, tandem etiam in febrim incidi, quam deinceps in tota peregrinatione habui. Nam cum Hamelburgenses sibi metuerent, non integrum erat nobis diu apud illos commorari, sed intra quatrimum illinc (quamvis ego aegrotarem) discedendum fuit. Ibi vero denuo dum per quoddam oppidulum episcopi iter facere cogebamur, capiebatur maritus meus ab episcopi praefecto, qui sibi a domino suo clementissimo mandatum esse aiebat, ut interficeret omnes qui a Suiphordio illuc profugi venissent. Ibi igitur captivi inter spem metumque detinebamur, donec literis scriptis ab episcopo dimitteremur; atque tum demum Deus nos respicere incipiebat. Et primum quidem perduxit ad nobilissimum comitem Rinensem, deinde ad illustres comites Erbacenses, qui propter christianam religionem saepe fortunarum et capitis periculum neglexerunt, a quibus prolixè accepti fuimus, et multis muneribus affecti. Etiam complures dies apud illos commorati sumus, donec ego meliuscula essem, et maritus meus in collegium Academiae Heidelbergensis cooptaretur, ubi publice artem medicam profitebitur. Habes nostrarum aerumnarum epitomen, alias plura. De libellis multum te amo; mihi gratissimi fuere. Sed una cum nostris libris, ut caetera omnia quae habebamus, perierunt. Salutem plurimam dices uxori et liberis.

Heidelbergae, viii Calendas Augusti, [1554].

### XLIII

OLYMPIA FULVIA MORATA CAELIO S. CURIONI S. P. D.

Superioribus diebus bene longam ad te scripsi epistolam, in qua de nostris calamitatibus te certiolem feci: idcirco iam laconismo utar, tantum te maiorem in modum rogans, ut illis libris, quos istinc ad nos transportari cupimus, commentaria in Hieremiae *ἑρῆνου* cuiusdam nostrae aetatis docti viri adiungas. Gratissimum mihi facies. Vale.

[Heidelbergae, 1554].

## XLIV

OLYMPIA FULVIA MORATA CAELIO S. CURIONI S. P. D.

Ne tibi sit mirum, eruditissime Caeli, cur iam diu nullas ad te miserim literas; morbus enim me impedivit; cuius quanta vis fuerit, ex hoc coniecturam facere poteris, quod postero die me sensibus orbavit. Omni tibi asseveratione affirmo, me a Deo ab inferis excitatam fuisse, καὶ δὴ ἐγὼ γ' ἐφαμην νέκυσας καὶ δῶμ' αἶδαο ἡματι πῶ δ' ὄψεσθαι. Nunc vero ex tam gravi ac mortifero morbo recreata (nam nondum plane me confirmavi) nihil mihi prius faciendum putavi, quam hisce meis literulis apud animum tuum testatum relinquere, nos graviter molesteque ferre, quod tibi pro beneficio nequaquam parem gratiam referre possumus. Hoc ipsum nostro Ioanni Heroldo dicas velim, illique ac doctissimis humanissimisque Isingrinio, Oporino, Hervagio, Frobenio et Episcopio nostro nomine gratias ingentes agas, qui nos tot luculentis scriptoribus donarunt: nostram tantorum meritorum memoriam nulla unquam delebit oblivio. Hic multi male sibi timent propter pestilentiam, et ornant fugam, paucos tamen illa hactenus e medio sustulit, nos vero nusquam pedem; sed Deo nos totos commendabimus, atque trademus. Maritus meus tibi salutem plurimam adscribi iussit. Saluta uxorem tuam ac liberos. Cura ut valeas.

Heidelbergae, Calendis Decembris, [1554].

## XLV

OLYMPIA MORATA CAELIO SECUNDO CURIONI S. P. D.

Etsi adhuc male me habeo, tamen occasionem tantam nacta ad te, doctissime Caeli, scribendi, in hoc meae valetudini parcere nolui, sed istis literulis salutare volui. Posteaquam enim de nostro Heroldo te quoque aegrotare audivi, mirum in modum

de tua valetudine sollicita sum. Quapropter te oro, ut hanc meam alleves sollicitudinem; id autem fiet, si te convaluisse ad me scribes. Me vero scito in dies magis magisque vi morbi consumi, neque ferme ullam horam feбри carere. Sic corripimur a Domino, ne cum hoc mundo pereamus. Si in re aliqua huic pio viro, qui has tibi reddet, gratificari poteris, quaeso ut id facias. Vale in Christo, optime Caeli. Salutatur te maritus meus. Salutem dic meis verbis tuae familiae et D. Bernardino Ocello, quem in Christo valde diligo, et Heroldo.

Heidelbergae, Nonis Iulii, [1555].

## XLVI

OLYMPIA FULVIA MORATA  
ILLUSTRISSIMAE LAVINIAE RUVERENSI URSINAE  
IN CHRISTO IESU DOMINO NOSTRO S. P. D.

Satis demirari non possem, illustrissima Lavinia, quare nullas ad me literas praeter unas tantum Ferraria discedens dederis, nisi pestiferum illud bellum, quo tam diu vexati fuimus, te excusare videretur. Non libet enim de tua erga me benevolentia aliquid suspicari, quam parem et mutuam esse confido. Equidem saepissime ad te scripsi, et misi dialogum a me compositum, libellosque aliorum doctorum hominum, sed nullam unquam abs te epistolam elicere potui; cognovi tamen ex meis, te istic esse, ad quos scripsi, ut de te me certiores facerent. Quamobrem a te etiam pro nostra summa necessitudine maiorem in modum peto atque contendo, ut me iam ferme totum triennium mirifice de te sollicitam aliqua tua epistola leves: quod iam facilius fieri posse credo, cum simus in loco celebriori quam antea, quo non venissemus, nisi maxima illa calamitas, quam ex bello accepimus, nos impulisset: quae quanta fuerit, et quid perpeSSI simus, ex meis literis ad D. Caelium Secundum datis intelliges. Non enim necesse putavi de eadem in hisce literis

ad te scribere, cum omnia plane ex illis cognoscere posses, simulque perspicere miseriarum te multos habere socios. Mihi crede, nullus est, modo in Christo pie vitam agere velit, qui non acerbissimos dolores, calamitatesque hauriat. Nos saepe peregrinari cogimur, sed tamen nusquam diabolum et mundum effugere possumus; imo, quod ille inquit: — Neque decedit aerata tiremi, et post equitem sedet atra cura. — Ita nos domesticos hostes veterem Adamum et peccatum semper nobiscum vehimus. Proinde nullo temporis puncto intermisso Deum comprecari oportet, ne in tantis malis frangamur; alioqui si languori desideriaeque nos dederimus, cum nobis tot bella sint gerenda, facile succumbemus, et in perpetuum peribimus. Quod tibi etiam cavendum est, magnaue tibi in sacras literas diligentia conferenda, et saepe orandus Deus, ne multitudinem impiorum, quorum omnia plena, imiteris; sed verbum Dei sit tibi dux recte et pie vivendi, et lucerna pedibus tuis. Sic enim non impinges: in primisque da operam ut plus illum Deum omnium rerum praepotentem, qui corpus animamque simul in gehennam coniicere potest, quam homunciones extimescas, quorum vita umbrae, foeno, flori, fumo in divinis literis comparari solet. Fac animo magno fortique sis. Omnia brevia etiam si magna sint, tolerabilia esse debent. Hic omnia bello ardent, et ubique multis aerumnis premuntur sancti viri; etiam ex Anglia multi sunt fugati: ita saevit diabolus. Haec vero omnia magnae nobis letitiae esse debent, cum portendere sciamus illum faustum et felicem diem brevi fore, quo una beatissimam vitam agere incipiemus. Interim nos literis salutabimus, et animo cernemus. Sororem meam sic tibi commendo, ut maiore studio eam commendare non possim, non ut illam locupletes, aut ad istos honores perducas; sed ut Christi scientia illustretur. Cito praeterit figura huius mundi. Vale in Christo. Meus maritus et fraterculus P. S. tibi adscribunt.

Heidelbergae, Calendis Augusti, [1554].



## XLVII

## OLYMPIA MORATA

VICTORIAE MORATAE SORORI CHARISSIMAE SUAE S. P. D.

Charissima soror,

nos Dei erga nos amore ex tanto patriae maritae naufragio adhuc salvi et incolumes sumus, qua de re debes et tu, Victoria soror, Deo optimo maximo gratias agere, qui nos a flamma atque ferro, ac pene ex faucibus fati ereptos conservavit. Quae pericula, quas belli calamitates perpessi simus, si tibi vellem exponere, non iam epistolam, sed volumen quantumvis magnum conficerem. Nam menses quatuordecim totos in maximis angustiis, obsessa urbe, atque inter tormentorum fulmina, noctes atque dies versati sumus. His si quoties uno tantum die moenia urbis pulsata fuerint liberet enumerare, incredibile forsán videretur. Sed idcirco urbem tamdiu Deus incolumen esse voluit, ut populum ad frugem bonam revocaret. Nam quamdiu obsessi fuimus, pauci ex nostris cecidere, fuitque urbs non sane magna, neque ita munita, contra omnes hostium vires et machinas, invicta. Tandem vero cum existimarem hostes (ut Caesar ipse atque alii Imperii principes imperarant) abire, atque omnia esse pacata; ecce tibi repente nec sine dolo in urbem irruerunt, eamque prius tumultuose direptam incenderunt. Hoc gravissimum vulnus in visceribus suis accepit Germania alioqui felix intestinis principum dissensionibus.

In hac tanta trepidatione, et panico pavore, cum maritus meus et ego iamiam in templum tamquam in asyllum nos recipere cogitarem, miles quidam nobis ignotus occurrit, monetque illico extra urbem profugiamus, alioqui futurum, ut iisdem cineribus cum incensa urbe sepeliamur. Et quidem si in templo fuisset, vel fumus nos, ut alios qui eo confugerant, extinxisset. Paruimus igitur monenti quisquis ille fuit; quod dum facimus, in milites incurrimus, qui nos dispoliant;

a quibus etiam vir meus bis capitur; quod mihi omnium gravissime accidit, qui si diutius detentus fuisset, et suam opem Deus distulisset (cito enim Deus eum mihi petenti condonavit) mihi doloris acerbitate erat omnino moriendum. Aliarum omnium rerum iacturam (nihil enim mihi praeter subuculam, qua corpus tegerem, relictum fuerat) facile ferebam: charissimi coniugis ferre nullo modo poteram.

Sed Deus ille pater meos gemitus audivit, neque solum tunc, verum etiam postea. Eo namque duce ad comites quosdam (ut hodie vocant) devenimus, oppidorum arciumque dominos, a quibus honorifice accepti fuimus, veste et aliis rebus necessariis donati. Inter quos est unus, cuius uxor clarissimi inter Germanos ducis est filia, qui Palatini appellantur. Haec me misere affectam, tanta charitate pietateque accepit, ut et ipsamet mihi decumbenti suis manibus ministraret. Quin et pallam egregiam donavit, plus quam mille sestertium nummum aestimatam. Alius eiusdem nobilitatis vir, antea nobis ne nomine quidem notus, dum in via essemus, nobis argenti numerum non contemnendum subsidio mittebat. Horum benignitate in tantis difficultatibus sublevati sumus, donec Heidelbergam, ubi nunc agimus, maritus meus ab illustrissimo principe Palatino, Imperii septemviro, accitus est, ad medicinam publice docendam: est enim una inter Germaniae Academias non postrema: quamquam hac calamitosa ac turbulenta tempestate, magis arma quam literae quaerantur. Episcopi magnum habent exercitum, alii non minorem. Itaque omnia vastant, rapiunt, incendunt. In Anglia quoque pii vehementer affliguntur. Audio Bernardinum Ocellum senensem, virum sincere christianum, ex Anglia Genevam profugisse. Adeo ubique ferenda crux est ei, qui velit esse christianus.

Equidem sic pati malo et cum Christo, quam totum orbem terrae sine Christo possidere. Nec eo amplius cupio, etiam si non sim nescia, quae adhuc perpessi sumus, non fore postrema. Alia praeterea multa, si vixerimus, nobis perpetienda restant; ac ne nunc quidem expertes malorum sumus. Unum oro, mihi Deus fidem et constantiam in finem usque largiatur, quod et eum

facturum esse confido; promisit enim se meas preces quoties eum oravero, auditurum. Ego autem assidue coram eo meam animam effundo: nec id frustra. Sentio enim me sic roborari et obfirmari, ut eius adversariis, quorum plena sunt omnia, ne latum quidem pilum in causa religionis cesserim; sed nec cum epicureis, qui evangelii sanctissimum nomen suis cupiditatibus praetexunt, ulla in re consentio. Itaque vides, chara soror, hostes nusquam abesse, mundum, Satanam et carnem, ut eos consecratis nominibus appellem. Verum enim multo praestat in hac brevissima vita cum Dei ecclesia malis affici, quam sempiternis horroribus cum adversariis adiudicari, ubi in aeternam clauduntur lumina noctem. Quare te etiam atque etiam oro, mea soror, tuae salutis rationem habeas; plusque eum qui uno verbo omnia creavit, qui te genuit, qui servavit, totque beneficiis cumulavit, metuas, quam terrae quaedam inutilia pondera, quam huius mundi speciem, quantumvis minitantem, aut etiam arridentem et blandientem. Nam quae cernis omnia, quid sunt quam tenuis quidam vapor, aut fumus evanescens, aut stipula foenumve igni mox absumenda? Quod si te infirmam sentis in hac quae in coelum ducit via, infirmitatem excuses cave. Nam morbi excusatio, morbum auget, estque Deo ingrata. Hanc ob rem David orat psalmo CXXI, ne Deus eo sinat animum suum deflectere, ut peccatis suis aliquam praetexat excusationem. Quid igitur? Morbum tuum Domino, vero medico, confitere; eum roga tibi medicinam adhibeat, vires adiungat, perficiatque ut eum magis quam homines et ames et metuas. Nam idcirco toties in psalmis nostrae fortitudinis Deus appellatur, quod nos roboret, fortesque faciat, modo nos agnoscamus, et ab eo petamus. Vult enim continenter orari, ut exoretur. Certum habe illum tuas preces audire, et velle quod petis, et supra quam petis efficere, ut est largus et benignus erga omnes, qui ipsum ex animo quaerunt. Vide autem, mea soror, evangelii voce dicas: — Si quidem una ex delectis atque ad salutem designatis ero, perire non potero. — Hoc namque esset Deum tentare, qui per evangelii obedientiam et preces quasi mediis, nos vult salutem adipisci. Etsi enim certa est electio, rataque designatorum salus, quam

qui Christi sunt, in interiore homine sentiunt, tamen ea non est absque Christo, atque iis quae christianam professionem exornant. « Fides, inquit Paulus, ex auditu, auditus autem per Dei sermonem ». Idem quoque in *Epistola ad Galatos* scribit, et in *Actis Apostolorum* re ipsa ostenditur, eos Spiritu sancto donatos esse, qui evangelii vocem auscultassent. Illud etiam ne unquam tibi excidat, quod et Paulus et Iacobus ait. Eam Christo Domino probari fidem, non quae ociosa et ignava sit, sed quae per charitatem sit actuosa et viva. Quod si copiam audiendi non habes, nulla dies tamen abeat sine sacrarum literarum lectione et precatione, ut Deus mentem tuam illustret ad ea intelligenda et haurienda, quae ad bene beateque vivendum conducant. Sin etiam ab herae tuae officiis parum temporis superest, mane aliquanto temporius cubitu surge, vesperi serius cubitum ito, atque ita, clauso cubiculo tuo, quae tuae salutis sunt perage. Iubet enim Dominus ante omnia regnum et iustitiam eius quaeramus. His peractis, Domino operam dato eo animo et fide, ea reverentia eoque honore, quae christianam atque ingenuam puellam deceant. Herae tuae Laviniae dicit, ut et ipsa suarum aegritudinum et angorum a christiana philosophia levamen petat, requiemque curarum. Brevi in portum optatum recipiemur. Tempus aequè in adversis rebus, atque in secundis volat. Quod si longius videatur quod patitur, ac durius, cogitet se cum Christi civibus, immo cum Christo ipso pati. Nam et haec clarissima foemina, cuius supra mentionem feci, suam eamque haud levem crucem portat. Et est nihilominus regali genere prognata, e quo et Caesares aliquot extiterunt. Ipsa tamen hac quae ei obtigit, humiliori sorte contenta est. Haec eadem in XIX annis unam vix diem ab aegritudine immunem egit. Quin et nunc iam complures dies adeo periculose decumbit, ut de eius vita vehementer ambigatur. Est autem mulier in primis religiosa; semper de Deo, deque futura vita loquitur magno cum desiderio et ardore. Saepenumero haec cum marito in vitae et fortunarum omnium discrimen vocati sunt. O mea soror, cum Mose psalmo XC precare: — Doce me, Domine, ad hunc modum numerare et cogitare dies meos, et illorum

paucitatem semper ante oculos habere, ut hac inani vita contempta, me totam sapientiae et contemplationi rerum aeternarum dedicem —. Dominum dum invenitur quaerito; eum continenter orato; cum cibum sumis, gratias agito; eius amori te totam tradito; viam improborum ne imitator; te puram castamque servato, ut tandem victrix palmam comprehendas. Matronis istis ac puellis quae tecum sunt, meo nomine plurimam salutem dicito. Ad Cherubinam ipsa literas dabo. Tu vero ad me epistolam bene longam de omnibus rebus tuis scribito. Laviniae dominae tuae (quam honoris causa nomino) mihi charissimae literas summopere desidero; cuius suavitas et pietas nunquam mihi ex animo effluit. Ad eam aliquot libellos ac praesertim Caeli nostri misi; num eos acceperit, num grati sint, scire aveo. Maritus et Aemilius frater te exosculantur, et salutant. Vale et vince, Victoria soror suavissima.

Heidelbergae, VII Idus Augusti, [1554].

#### XLVIII

OLIMPIA MORATA A CHERUBINA ORSINI.

Carissima madonna Cherubina,

vi devete rallegrare con noi che Dio per la sua grande misericordia ci abbia liberati da infiniti pericoli, nelli quali XIII mesi di continuo semo stati. In carestia grande il Signore ci ha nutriti, che avemo avuto da dare ancora alli altri: ha liberato il mio consorte di febbre pestilenziale, la quale fu in tutta la città, e esso alquante settimane stette così male, che, se io non avesse avuto li occhi della fede, i quali risguardano in quelle cose che non appaeno, mai averia potuto credere ch'ei fusse guarito, perché i segni mortali erano manifesti; ma il Signore, al quale niente è impossibile, e il quale spesso opera contra natura, lo sanò, ancora senza medicina alcuna, non si trovando per la guerra più remedio alcuno nella specieria. Iddio ha avuto

misericordia di me, che mi era un dolore quasi intollerabile. Io ho pur provato spessissime volte quel che dice il salmo, che il Signore fa la volontà di quelli che 'l temano, ed esaudisce i loro prieghi. Sapete, la mia cara madonna Cherubina, che nella Scrittura, per il fuoco si intende le grandi afflizioni, come ancora mostra chiaramente quel loco in Esaia, così dicendo il Signore: «Che Israel non tema ch'el sarà con esso, quando egli passerà per il fuoco»; come è stato con noi, che siamo passati per il fuoco veramente, non per similitudine alcuna, ma siamo stati in mezzo al fuoco. Imperò che i vescovi ed altri suoi simili, che hanno fatto guerra con Suinforto, hanno gettato giorno e notte il fuoco dentro nella città da tutte le bande, e con tanto furore e impeto hanno tirato le artellarie, che i soldati, i quali erano dentro nella nostra città, dicevano che mai si era udito nelle altre guerre, che in un giorno si avesse tirati tanti tracti di artellaria: e Iddio nella prima obsidione invitando con la sua bontà e con il suo aiuto il popolo a penitencia, così defese il suo popolo, che pur uno nella città fu ammazzato. In somma Iddio ha monstrato la sua potenza in defendere quella città, e liberarla da tanti mali. Alla fine per tradimento entrarono all'improvviso, quando ci era stato promesso che anderebbero via per comandamento dell'Imperatore ed altri principi, ed avendo tolto ogni cosa che era nella città, l'abbruscirono. Il Signore ci liberò dalle fiamme, e per consiglio di uno dei nemici uscissemo fuori del fuoco. Il mio consorte poi fu pigliato due volte da' nemici, che vi prometto se mai io ebbe dolore, che allora l'ho avuto, e se mai pregai ardentemente, allora pregai. Io nel mio cuore angustiato gridava con gemiti inenarrabili: — Aiutami, aiutami, Signore, per Cristo! —: e mai cessai perfin ch'el mi aiutò, e lo liberò. Vorrei che aveste visto come io era scapigliata, coperta di straccie, ché ci tolseno le veste d'attorno, e fuggendo io perdetti le scarpe, né aveva calze in piede, sí che mi bisognava fuggire sopra le pietre e sassi, che io non so come arrivasse. Spesso io diceva: — Adesso io cascarò qui morta, che non posso piú, — e poi diceva a Dio: — Signore, se tu mi vuoi viva, comanda

alli tuoi angeli che mi tirino, che certo io non posso. — Mi maraviglio ancora quando io penso, come il primo giorno io facesse quelle diece miglia, che io mi senteva tutta mancare, essendo io magrissima e malaticcia, che era stata ammalata ancora il giorno davanti, e per quella stracchezza mi veniva la febbre terzana, e per il viaggio sempre son stata ammalata. Il Signore non ci ha abbandonati, ancora che ci fusse tolto ogni cosa, per fin le veste da circa il corpo, ma ci mandò mentre che eramo per via quindeci scudi d'oro da un signore non conosciuto da noi; poi ci menò ad altri signori, i quali ci vestirno onorevolmente; al fine semo venuti a stare in questa città di Haidelberga, nella qual il mio consorte è stato fatto lettore publico nella medicina, e avemo adesso quasi tanta massaria di casa come avanti.

Questo vi scrivo acciocché ringraziate il Signore, e considerate che mai egli non abbandona i suoi nelle angustie, acciocché vi confirmate in fede che non vi lasciará, ancora che bisognasse che patiste qualche cosa per la veritá, come bisogna che siamo, come dice Paolo, conformi alla imagine di Cristo, che patiamo con esso, acciocché regnemo con lui. Non si da la corona se non a colui che combatte, e se vi sentite inferma, la mia cara madonna Cherubina, come ancora io sono (ma il Signore mi fa forte quando io l'invoco e priego) andate a Cristo il quale, come dice Esaia, egli non spezzará la canna agitata, cioè la coscienza inferma e spaventata; egli non la spaventerá ancora piú ma la consolará, come esso chiama a sé tutti che sono aggravati di peccati, e affaticati; né ammorzará il lino che fuma, cioè quello che è infermo in fede, e non lo regetterá da sé, ma lo fará forte. Non sapete che Esaia lo chiama forte e gigante, non solo perché esso ha vinto il diavolo, il peccato, l'inferno e la morte, ma perché di continuo vince nelli suoi membri tutti i suoi nemici, e li fa forti. Perché tanto spesso la Scrittura ci invita a pregare, e ci promette che saremo esauditi, se non acciocché in tutti i nostri mali e infirmitá andiamo dal medico nostro? Perché lo chiama David Iddio della sua fortezza, se non perché egli lo faceva forte? Così sarà

ancora per voi, ma ei vole essere pregato, e che si studi la sua parola, la quale e il cibo dell'anima. E s'el corpo nostro perde le sue forze quando non ha il cibo, come sarà l'anima forte che non si sustenta con la parola di Dio? Si che, la mia madonna Cherubina, state di continuo in orazione, e leggete la Scrittura da per voi, e insieme con la signora Lavinia, e con la Vittoria: esortatela alla pietá: pregate insieme, e vederete che Dio vi dará tanta fortezza, che vincerete il mondo, e per paura non farete cosa alcuna contro la vostra conscienza. Pensate ch'egli sia bugiardo, quando ei dice: « In veritá in veritá vi dico, che se domanderete cosa alcuna al Padre nel nome mio, che ve le dará, e se saranno due o tre congregati sopra la terra, e pregaranno di qualche cosa, io la farò? » Ei manca da voi, se semo infermi, perché non lo preghiamo: voi vederete, purché non vi stracchiate di pregare, che Dio vi fará forte. Pregate ancora per noi come io faccio per tutti i Cristiani che sono in Italia, ch'el Signore ci faccia costanti, accio che possiamo confessarlo in mezzo della generazione perversa. Qui è un gran dispregio della parola di Dio, e pochissimi se ne curano. Abbiamo ancora qui la idolatria e la parola di Dio insieme come Samaria. Io voleva avere la mia cara madre meco, ma ogni cosa è piena di guerra; mi bisogna aspettare questa consolazione di vederla nell'altra vita. Non manca qui la croce alli pii; il Signore ci dia a tutti fede e costanzia, che vinciamo il mondo.

A laude di Dio vi voglio scrivere come ho visto un grande miracolo in questa nostra persecuzione: che semo stati in corte di alcuni signori di Alemagna, i quali per l'evangelio hanno posto la vita e la roba in pericolo, che tanto vivono sanctamente, che mi son stupita. Quel signore ha predicatori nella sua città, e sempre lui è il primo ad andare alla predica: dipoi ogni mattina avanti al desinare, lui chiama tutta la sua famiglia, non bisogna che ne resti pur uno, e in sua presenza si legge un evangelio, e una epistola di san Paolo, e esso postosi in genocchioni con tutta la sua corte pregano il Signore. Bisogna poi che a casa per casa ciascaduno de suoi sudditi gli renda ragione della sua fede, con le massare e ogni uno, acciocché ei



veda come fanno profitto nella religione; perché così dice, che fa bene se non facesse così, che esso sarebbe obbligato a rendere ragione di tutte le anime dei suoi sudditi. Io vorria che tutti i signori e principi fusseno tali. Il Signore vi dia fede, e vi accresca nella sua cognizione, perché di continuo dovemo pregare di accrescere in fede: per questo si chiamano le vie del Signore, perché non si dovemo fermare come fussemo perfetti, ma camminare sempre e crescere in perfezione. Studiate diligentemente la Scrittura. Emilio per grazia di Dio è sano e salvo, e spero che temerà Dio: molto volentieri ode le prediche, e studia la Scrittura. Io prego di continuo per lui e per tutta la casa nostra, che temino il Signore. Il mio consorte e io ed Emilio con tutto il cuore vi salutiamo.

Di Haidelberga, a 8 di Agosto, [1554].

Se la signora Lavinia mi vorrà scrivere, S. S. potrà ben trovare via e modo. Questa città è molto celebre per la corte, e per l'Academia.

La vostra OLYMPIA.

## XLIX

OLIMPIA MORATA A CHERUBINA ORSINI.

Avendo io scritto la prima mia lettera, ho voluto ancora aggiungere quest'altra per esortarvi, che preghiate Dio che vi faccia forte, acciocché per paura di quelli che solamente possono ammazzare il corpo, voi non offendiate quel dolce Signore nostro, che per nostra causa ha patito ogni cosa; così per esserli grata confessatelo, come esso vole, avanti questa perversa generazione, e ricordatevi di quel che dice David: « Io ho in odio la chiesa de' maligni, e con li impii non sederò ». Oh, mo' direste forse: — Io son inferma, e non posso questo. — O pensate che tanti santi e profeti, tanti martiri, ancora del nostro tempo, siano stati forti per propria virtù, e non che Dio abbia

fatto forti quelli? considerate nella Scrittura quelli che sono stati infermi, che non sempre sono restati infermi. San Pietro lo negò, il che non è posto per esempio che noi imitemo, ma per conoscere la fragilità nostra, non escusarla, e la gran misericordia di Cristo. Esso non fu sempre infermo, ma così fu fatto robusto, che poi si rallegrava di patire per Cristo. Così ancora noi, sentendo la nostra infermità, dovemo con priegi accostarsi al medico, e pregarlo ch'egli ci faccia forti; purché lo preghiamo, esso non mancherà della sua promessa, ma egli non vuole che siamo pegri ed ociosi, ma che di continuo stemo in esercizio, armati di quelle arme che scrive san Paolo *alli Efesii* al quinto: « Noi abbiamo un potentissimo nemico che mai cessa, e Cristo ci ha dato l'esempio come il possiamo vincere, cioè con le orazioni, e con la parola di Dio »: però per amore di Cristo, il quale con il suo prezioso sangue vi ha riscosso, io vi priego che diligentemente studiate la Scrittura, pregando il Signore che vi illumini in quella. Vedete David, quel gran profeta, quanto spesso, e con quanto ardore il priega: « Signore illuminami, insegnami le vie tue, renova un core mondo in me »; e noi come se fussemo perfetti, non studiamo o leggemo cosa alcuna. Paolo, tanto omo, scrive *alli Filippensi*, ch'el non ha ancora appreso, ma che studia di apprendere. Di giorno in giorno dovemo crescere nella cognizione del Signore, e insieme pregare con gli apostoli a crescerci la fede, e con David: — Sustenta i passi mei nelle vie tue —. La colpa è nostra, che semo infermi, perché scusiamo la nostra infirmità, e non usiamo gli remedi da Cristo ordinati, cioè li prieghi e la sua parola. Pensate che quel che ha fatto e patito ogni cosa per amore vostro, non vi esaudirà se lo pregarete ch'egli vi faccia forte, avendo tante sue dolce promesse? Se non vi volesse esaudire, egli non vi averia invitato con tante promesse; e acciocché non dubitaste ha giurato, che tutto quello che domanderete al padre in suo nome, egli ve lo darà, e non dice che vi vuol dare solamente questo o quello, ma tutto quello che dimanderete. E san Giovanni dice, che se noi domandiamo qualcosa secundo la volontà di Dio, ché egli ci esaudirà. Ora domandarli ch'egli vi dia fede e fortezza, acciocché lo confessate,

non è questo secundo la sua volontà? Ah, come noi semo freddi, e poi noi ci scusiamo! Devemo monstrare al medico le nostre infermità, ed esso ci sanará. Oh non è proprio l'ufficio di Cristo salvarci da peccati, e vincere il peccato; picchiate, picchiate, e vi sará aperto. Ricordatevi ch'egli è onnipotente, che se non sará venuta l'ora vostra, nessuno vi potrà tirare un capello dal capo. È piú forte quel che è in noi, che quel ch'è nel mondo. Né considerate piú quel che facciano la piú gran parte, ma quel che abbiano fatto i santi e faccino ancora a questo tempo. La parola del Signore sia la lucerna a' piedi vostri, la quale se non leggerete e odirete, scappuccierete in tanti scandali del mondo. Vi priego, leggete questa lettera alla Vittoria, e esortatela con esempio e con parole a onorare e confessare Dio. Leggete insieme con lei la Scrittura: pregate la mia cara signora Lavinia, che spesso vi legga qualcosa nella Scrittura, e voi sentirete efficacia della parola di Dio. Questo vi ho scritto desiderando la vostra salute; Dio lo sa, e vi priego fate così. Io priego il Signore che per Cristo vi illumini e fortifichi, acciocché vinciate Satana, il mondo e la carne vostra, e abbiate la corona, la quale solo si dará a colui che averá vinto. Io so del certo, che se obbedirete alle mie admonizioni, che voi provarete che il Signore vi fortificherá. Non considerate che io sia una donna che vi avviso. Ma siate certa che Iddio con la sua parola pronunciata per la mia bocca benignamente vi invita a lui. Tutte le false opinioni, tutti gli errori, e tutte le dispute vengono solamente, perché non si legge la Scrittura diligentemente. David dice: — Tu mi hai fatto piú prudente che tutti gl' inimici miei con la tua legge —. Non ascoltate quelle impie parole di alcuni, i quali dispregiando i comandamenti di Dio, e mezzi da salvarsi da esso ordinati, dicono: — E se sarò predestinato mi salvarò, ancora che io non studio la Scrittura né priego. — Colui che è predestinato e chiamato da Dio, non dirá già tal biastema, ma si sforzará di obbedire a Dio, e non lo tenterá. Iddio ci fa questo bene e onore, che parla con noi nella sua Scrittura, ci insegna, consola, e noi dispregieremo un tanto tesoro? e ci invita a pregare, ma noi, lasciando tutti questi mezzi ordinati da

Dio, stando ociosi, stemo a disputare dell'alto consiglio del Signore, di quello che sará. Usemo i remedii da esso lasciatici, e cosí mostreremo che siamo figlioli obbedienti di Dio e predestinati. Leggete quanto vole Dio che la sua parola sia estimata. « La fede, dice Paolo, è per l'udita, e l'udita per la parola di Dio ». Vi prometto che se stemo ociosi, presto la fede e la carità si rífredda. E non vale, come dice Cristo, avere cominciato, ma bisogna perseverare, per fin alla fine. Colui che sta, dice Paolo, guardi che non caschi. Vi priego per amor di Cristo, che vi governiate secondo la parola di Dio, e non secondo le opinioni d'omini. Quella sia la vostra lucerna a' piedi vostri, altramente Satana vi potrà ingannare in varii modi. Queste mie esortazioni ditele ancora a mia sorella; né considerate mai chi sia la persona che vi parla, ma considerate s'ella vi parla la parola sua, o quella di Dio, e cosí facendo saperete che vi bisogna fare, se la Scrittura sará la regola della vita vostra, non l'autorità di persona alcuna: domandate, cercate, picchiate, e vi sará aperto; accostatevi al vostro caro sposo, il quale contemplerete nella sua parola, vero e chiaro specchio, nel quale riluce tutta la scienza a noi necessaria. Iddio per Cristo faccia che io non abbia scritto indarno: il che non ho fatto senza dolore del mio stomaco; ma Dio volesse che con la mia morte io potessi giovare a voi e ad altri nelle cose della salute. Di grazia scrivetemi una volta come state.

[Heidelberg, 1554].

La vostra OLYMPIA.

L

OLYMPIA FULVIA MORATA CAELIO SECUNDO CURIONI S. P. D.

Quam molli sint animo qui vera amicitia, hoc est christiana, inter se conglutinati sunt, hinc, mi Caeli, tamquam pater suavissime coniciias, quod ego lectis tuis literis lacrymas

abstinere non potui. Nam cum te tamquam ab orco revocatum esse audirem, gaudio profecto lacrymabam. Oro autem Deum ut te tueatur, uti ecclesiae suae commodis et utilitati inservire diu queas. De morbo filiae tuae valde doleo; sed quia, ut scribis, spes est eam posse consanescere, dolorem leniemus. De me vero, mi Caeli. scias omnem longioris vitae spem ademptam esse. Nam quod ad medicamenta attinet, quibus usa sum plurimis, nihil est quod opem ferat. In dies iam, immo in horas ferme nihil aliud nostri expectant, quam ut hinc migrem. Et sane ego nescio an istae sint ultimae literae futurae, quas a me accipies. Corpus omnino et vires sunt amissae: nullum habeo ciborum gustum: catarrhus dies ac noctes me suffocare conatur. Febris vehemens et assidua: dolores per totum corpus, qui me somno privant. Itaque nihil restat nisi ut animam efflem. Adhuc adest spiritus in artubus memor omnium meorum amicorum et beneficiorum acceptorum. Quare tibi pro tuis libellis et bonis illis viris, qui me tot pulcherrimis muneribus affecerunt, ingentes ago gratias. Cupiebam referre, si fata tulissent. Ego omnino brevi me decessuram opinor; tibi ecclesiam commendo, ut quidquid agas, id ex usu eius sit. Vale, optime Caeli, et si de obitu meo tibi renunciatum fuerit, ne doleas. Nam ego scio tunc demum me victuram, cupioque iam dissolvi, et esse cum Christo. De fratre quod quaeris, proficit is quidem, sed ita, ut magis calcaribus, quam fraeno egeat. Heidelberga deserta videtur tum ex fuga plurimorum propter pestilentiam, tum ex obitu quoque multorum. S. P. tibi adscribit maritus meus. Saluta familiam tua nostro nomine. Carmina quae potui in memoriam redigere post ruinam Suinphordensem ad te, ut postulas, mitto: alia mea scripta perierunt. Quaeso ut meus Aristarchus esse velis, eaque limare. Iterum vale.

Heidelbergae, [1555].

---



III

DALLE EPISTOLE

DI

CELIO SECONDO CURIONE





## I

CAELIUS SECUNDUS CURIO BASILIO AMERBACHIO,  
PER CHRISTUM IESUM S. P. D.

Vix credas, mi Basili, quam cupide reditum comitis tui expectarim; tam, mihi crede, cupide quam si meus aut Horatius, aut Leo, aut Augustinus isthuc profectus esset. Rediit tandem (nam iam de eius reditu patrem tuum, iam sororium compellaram) atque mihi a te literas, easque humanitatis, officii, amoris, dicam uno verbo, Basilio meo dignas reddidit; quae mihi eo fuere gratiores, quod ex tempore exaratae fuerunt. Non quod non laudem, in adolescente praesertim, in scribendo curam, quae mater est elegantiae, immortaliumque scriptorum; sed quod temporis angustiis districtus, et multis, novus hospes, rebus procurandis distractus, tamen ad me scripsisti. Quid enim, nisi magni cuiusdam tui erga me amoris in eo signum ostendisti? Accedit etiam quod ad me, non de me, tuisque rebus tantum, sed etiam meorum amicorum, tam diligenter perscripsisti. Nam ut ad id primum respondeam: Hieronymus noster tibi gratias agit, quod tanta diligentia, quae nosse cupiebat, investigasti et explicasti. De me vero quid dicam? cuius nescio quae beneficia praedicas; quae si fuerunt, ea tu maiora, illustrioraque ingenio isto tuo, sedulitate, industria, praedicatione facis, quod mihi tamen est longe gratissimum.

Quod autem meae commendationi tribuis ex parte, quod ab optimo viro ac iurisconsulto praestantissimo Varnbulero fueris acceptus, in eo utriusque vestrum humanitatem agnosco, in

alienis officiolis extollendis; tuam, qui quod gratiae, parentis tui virtute et bonitate, tuaque suavitate, apud bonum virum invenisti, mecum communices: Varnbuleri vero, quod hominis ignoti literas et commendationem tanti apud se ponderis esse voluit. Hoc scito, mi Basili, nihil mihi gratius posse contingere, quam si videam me meaque a talibus viris probari. Sed finem faciam. Nam plura scribere vix vacat, propter tabellarium iam abeuntem. Plura fortassis, ubi de tuorum ordine et constitutione studiorum scripseris. Interea vale, mi charissime Basili; et scito me nullum laetiozem nuncium accepturum quam cum te bene valere, atque his rebus quae tibi abeunti mandavi, operam navare intellexero. Salutatur te uxor mea cum filiabus tribus et Augustino tuo. Salutatur et reliqua familia, quam tu salvere tam officiose iussisti. Horatium ac D. Grybaldum tuo nomine proxime salutavi. Tu vero isthic mihi D. Varnbulerum, hospitem tuum humanissimum et praeceptorem, ut spero, diligentissimum, quam fieri possit amanter salutabis.

Basileae, 4 nonas Octobris, [1552].

## II

CAELIUS SECUNDUS CURIO

BASILIO AMERBACHIO BONIFACII F. [ILIO] S. D.

Binas a te eodem tempore simul complicatas literas accepi, longiores alteras, alteras breviores; illas III novembris, has III nonas decembris scriptas: utrasque vero mihi et gratissimas, et iucundissimas, ut omnia tua esse consueverunt. In primis quidem tua me afficit in scribendo diligentia, tum quod nullum ad nos venire sine tuis ad me literis patiaris, tum quod, quae scribis, cum cura et diligenti meditatione scribas; quorum altero ut facile scribas, altero ut pure, latine et dilucide consequere. Quod autem de istius urbis amoenitate et salubritate scribis, id mihi cum aliorum, tum tua maxima causa periucundum est. Ex qua descriptione, video te quae urbi amoenitatem concilient quae etiam

commoditatem intelligere. Vitiferi colles, florida prata, irriguus ager, campi patentes, fontium limpidissimorum scaturigines, viridicatae sylvae, fluminum piscosorum cursus, et quod caput est, quodque hisce omnibus moderatur, coeli aspiratio, temperatioque salubris ac vitalis. Quae omnia cum Tubinga ista vestra habeat, haud mirum si a pestilentia immunis sit. Pie tamen tu ac religiose id Deo potissimum tribuis, qui auctor horum omnium est, et conservator. Gratulor igitur tibi, mi Basili, tum istius urbis tam commodam, tamque iucundam habitationem; tum vel maxime istam tuam piam religiosamque mentem, quae viva, sancta, Deoque accepta hostia est, et (ut Paulus noster ait) λογική λατρεία.

De iuris autem interpretibus, aliarum item artium, quibus Academia ista exornatur, per mihi gratum fuit cognoscere. Illud vero permolestum, te neminem isthic pectore et lingua praestantem, vel Aristotelem, vel Ciceronem, duo disciplinarum eloquentiaeque lumina explicantem, audire posse. His enim iuris studium alitur, roboratur, exornatur maxime. Quid autem tibi hic faciendum, omittendumve sit, rogas? Ego vero, mi Basili, isthuc suadeo, ut quae ab aliis audire non possis, ipse per te legas, inquiras, tecum meditare atque exerceas; quod clarissimi in omni doctrinarum genere viri, ac praesertim iurisconsulti semper fecerunt. Ac ne exempla longe repetam, neminem tibi in hoc genere patre tuo, clarissimo viro, meliorem possim subiicere, qui ita studia semper moderatus est sua, ut ex iurisconsultorum libris et commentariis, nunc ad Aristotelem nunc ad Ciceronem, atque id genus sapientissimorum eloquentissimorumque virorum scripta, mentem, animumque convertat; rursumque ab his ad illos, tamquam in proprias se recipiat sedes; adeo ut, si quando illi locus aliquis ex iure civili sit explicandus, non nude ac ieiune, ut plerique, sed ornate et copiose disserat, summa cum suae professionis dignitate. Hunc igitur tibi propone, ad eius consuetudinem moremque tua dirige studia.

Ex reliquis tuis studiis, quae cognitioni iuris imprendenda sunt, horam unam aut alteram seiunge, in qua vel Ciceroni vel Aristoteli, sed potissimum Ciceroni diligentem naves operam,

vel legendo, vel scribendo. Nam quod legis, ut id ipsum stylo atque exercitatione exprimas, tibi conandum est, si fructum aliquem colligere tuorum studiorum velis. Haec ego breviter, ad id quod quaerebas, respondeo. Quod reliquum est, cave putes, ullam a te epistolam mihi verbosam aut longam videri; imo quo longiores sunt, eo me magis delectant, desideriumque magis accendunt meum. Videor enim mihi tum legendis tuis, tum scribendis meis, tecum confabulari, et praesentes audire et reddere voces.

De urbe nunc quidem fere abiit pestilentia, quae quamdiu fuit, neque me, neque quenquam alium in familia, Deo protegente, attigit. Tui quoque omnes salvi sunt. Nullus est in familia nostra, qui tibi suo nomine salutem adscribere non iusserit; sed uxor praesertim, et Augustinus meus, qui tui desiderium vix fert. Saluta praeceptorem, hospitem tuum humanissimum, et si qui praeterea sunt, quibus nomine saltem notus sim. Vale.

Basileae, Idibus Ianuarii, [1553].

### III

CAELIUS SECUNDUS CURIO XYSTO BETULEIO S. P. D.

De Olympia nostra scribis te certiolem fieri cupere, quod plerique fictum nomen arbitrentur. Faciam, quod petis, perquam libenter; quamquam vel Georgius Hermannus, quaenam sit, testari potuisset. Olympia igitur patrem habuit Fulvium Moratum Mantuanum, virum doctissimum atque humanissimum, cum quo mihi hospitium vetus et amicitia fuit. Is in Italia honestissimis docendi muneribus functus est. Nam praeter caeteros, ducis Ferrariensis filios, huius ducis fratres duos, literis et bonis artibus instituit, ac perpolivit. Cum autem hanc Olympiam haberet ingenio summo praeditam, omnibus literis quibus ad humanitatem homines informantur, eam domi erudivit. Quae brevi tantum profecit, ut admirationi nostris hominibus esset. Itaque cum Anna, huius ducis Ferrariensis filia, iisdem literis

a Ioanne Sinapio, viro summo, institueretur, ut eam haberet cum qua honesta aemulatione certaret, visum matri est, (quam honestatis, religionis, amplitudinisque gratia nomino) ut Olympia in aulam advocaretur, in qua aliquot annos magna cum laude fuit. Ibi audivimus eam nos ita latine declamantem, graece loquentem, Ciceronis *Paradoxa* explicantem, ad quaestiones respondentem, ut cum veterum puellarum quavis, quae quidem ingenii laude excelluerit, conferri posse videretur. Dum ita pergeret, incidit in lethalem morbum Fulvius pater, cui ut ministraret, relicta aula, domum se contulit filia.

Mortuo patre, quod esset maxima natu, et matrem admodum valetudinariam haberet, rem familiarem administrare coepit, et fratres sororesque honeste educare. Erat autem tum Ferrariae Andreas Grunthlerus, iuvenis graecae et latinae linguae bene doctus, qui medicos audiebat, ex quo etiam lauream medicam assecutus est. Is Olympiae eruditionem singularem, moresque castissimos admiratus, eam (quae nihil in homine praeter ingenij dotes admiraretur) uxorem delegit, sibi que pulchro et stabili connubio copulavit. Ab hoc igitur in patriam ducebatur tum, cum apud Georgium Hermannum regis Romanorum consiliarium, uterque Augustae fuit, (est enim Germanus ipse, qui Italiam tam erudita puella spoliavit), ut mariti patriam et propinquos videret: fortassis post aliquot menses in Italiam redituri. Quamobrem non est quod de sapphico carmine, graece conscripto, quo Dei summi celebrat laudes, addubites. Vere enim Olympiae opus est: quod quidem nobis, quibus a teneris nota est, quique alia eius monumenta et vidimus, et habemus, mirum non videtur. Est enim literis et disciplinis tum graecis tum latinis, supra quam quis credere possit, exculpta, et scientia religionis illustrata. Haec de Olympia. Reliqua tu ab optimo et egregie docto viro, Georgio Hermannno, accipies. Vale.

Basileae, 8 Calendas Ianuarii, [1551].

## IV

CAELIUS SECUNDUS CURIO OLYMPIAE MORATAE  
GRUNTHLERAE S. D.

Literas tuas Nonis Octobris superiore anno Augustae scriptas, cum accepissem, iam tu Augusta in viri tui patriam profecta fueras. Id autem rescivi, quod cum tibi respondissem, inventa non es: nec quisquam tum dicere potuit oppidi aut urbis tuae nomen, nisi quod proximis nundinis, cum me per Isingrinium Basiliensem typographum Ioannis Sinapius iussisset salutari, tui quoque iisdem literis mentionem iniecit: ex quo intelligere potui, illum, ubinam ageres, probe tenere. Quare, cum rursus idem Isingrinus ad nundinas proficisceretur, ad te scribere constitui, et literas ad Sinapium mittere, qui ad te perferendas curaret: id quod non dubito eum cum mea, tum etiam tua causa libenter facturum. Primum igitur ago tibi gratias immortales Olympia, mulierum decus et ornamentum singulare, de eo quod post tot annos, tam remotis terrarum intervallis, nostri tamen non es oblita, et paternas amicitias, haereditarias tibi esse volueris. In eo enim declarasti, quanti patris tui iudicium in amicis deligendis; quanti quoque amicos, ac me praesertim facias. Quamobrem hoc tibi persuadeas velim, neminem pluris me, quam patrem tuum, dum viveret, fecisse. Cuius cum tu honestissimas artes, et, quod omnium maximum est, pietatem imiteris, cave putes ullam esse inter mortales, una uxore mea, et filiabus exceptis, quam pluris faciam, quam te; quam magis amem, et colam, quam te unam. Itaque tibi virum istum tuum praestantissimum gratulor, atque ita gratulor, ac si uni ex filiabus meis contigisset; simulque Deo optimo maximo grates ago, qui tui misertus, tuam adolescentiam et pudorem virginalem ex istis sive ollis, sive aulis eripuit, atque in auream libertatem asseruit. Hymnum, sive oden graece elaboratam, valde probo, in eam enim Davidis psalmum XLV coniecisti. Utinam plures huiusmodi tractares; Pindarum enim Graecis non

invideremus. Perge igitur, mea Olympia, quo te iamdudum tua virtus vocat. Laurum sacram tuo divino capiti impone, de sacratiore enim fonte spiritum poeticum, quam Pindarus, aut Sappho illa, hausisti. Quod si iam, quod non dubito, aliquid novi peperisti, sive ex capite, sive ex castissima alvo, fac me ut sciam; ut tibi novas gratulationes scribam, et tecum ista laetitia fruam. Velim autem, soror charissima, mihi saepius scriberes; quod si feceris, cave putes, te mihi rem gratiorem facere unquam posse. Delector enim summopere tuarum elegantia, sanctitate, suavitateque literarum. Et ut scias quam tui sim studiosus, mitto ad te exemplum literarum, quas ad Xystum Bettleium, virum doctissimum, et mihi amicissimum, scripsi paulo post, quam Augusta discesseras. Vale, Olympia charissima cum tuo doctissimo atque optimo viro, cum quo te Deus ad extremam usque senectutem in placida pace tueatur, et foveat. Quod si contingeret vos in Italiam redire, hac iter ut faciatis rogo, ut praesentes amplexari, et veterem amicitiam coniunctis dextris renovare valeamus. Iterum valet, par felicissimum et sanctissimum.

Basileae, Nonis Septembris, [1551].

Uxor mea, cum filiis omnibus, vos omnes salutant ex animo.

V

CAELIUS SECUNDUS CURIO IOANNI KEKO, EQUI TI SPLENDIDISSIMO,  
EDUARDI VI REGIS ANGLIAE PRAECEPTORI, S. P. D.  
PER CHRISTUM IESUM.

Cum scirem nullam amicitiam novam dici posse inter eos, qui unum Deum, unum eundemque Christum, eodem animo et spiritu, atque eodem ritu colunt; non putavi me, cum ad te scriberem, Keke doctissime, ad novum amicum scribere. Nam si qui in una domo habitant, sunt inter se consuetudine coniuncti, nos, qui non solum in una Dei domo sumus, sed etiam eiusdem

Patris coelestis filii (quae bonitas eius est) quibusque unus est animus, unum cor, una sententia, qui eiusdem corporis et capitis membra sumus, novi amici dici non possumus. Quae res facit, ut ad te tamquam ad amicum veterem, sine ulla dubitatione scribam, neque dubitem id a te per literas petere, quod mihi omnium est maximum, maximeque necessarium. Scripsimus in *Philippicas* Ciceronis commentarios, qui cuiusmodi sint, tu ipse pro tua singulari eruditione et candore iudicabis. Haec regi vestro, qui literis istis elegantioribus a te excolitur, et ad omnes regias virtutes informatur, dicavimus. Mitto exemplaria bina, quorum alterum regi per te tradi velim, alterum tibi muneri dono. Alius liber minor *de amplitudine misericordiae Dei*, filii mei est, quem etiam eadem opera regi nostro nomine donari cupimus. Te igitur per istam tuam singularem cum pietate coniunctam eruditionem, etiam atque etiam oro, ut rege isto vere sancto nostro nomine reverenter salutato, munuscula haec nostra eidem tradas, nosque officiose, quod potes, commendes. Reliqua, quae brevitatis literarum non fert, a sapientissimo sene Bernardino Ocello cognoscis. Vale et me tuum esse scito.

Basileae, Nonis Septembris.

## VI

### CAELIUS SECUNDUS CURIO

IOANNI BAPTISTAE BERNARDINO, PATRITIO LUCENSI, S. P. D.

Vincentius Castrucius civis tuus, bonus plane et cordatus homo, et amantissimus mei, scripsit ad me de filio tuo, quem optares mihi bonis literis bonisque moribus expoliendum tradere. Plurima quoque addidit de tua humanitate, fide, praestantique virtute; tum etiam de gnati tui indole sane bona, et ad omnem virtutis formam sequaci. Ego, quem nihil tantopere delectat, quam eiusmodi viros talibus praesertim officiis demereri, ex quibus cum iucunditas atque utilitas, tum magna solent ornamenta familiis et patriae comparari, illico non mediocri medius



fidius gaudio me affici sensi, cum viderem duos sapientissimos amplissimosque viros, tam bene de me atque magnifice sentire. Deinde paternam istam tuam laudavi pietatem, sollicitudinem et prudentiam commendavi. Quapropter, cum ita videam te cum in me, tum erga filium tuum affectum, ut et me filii tui longe carissimi praeceptorem, et illum nobis esse bonum docilemque discipulum velis, plus etiam tibi polliceor, et illi me alterum patrem, et illum nobis filium dulcissimum fore spondeo, et recipio. Id enim Castruccio nostro in primis debeo, tum tibi ipsi, tum etiam vestrae civitati, quae nos et commode accepit aliquamdiu, et non incommode dimisit; quod honoris causa a me dici existimes velim. Vale.

Lausannae, quarto Idus Februarii, 1543.

## VII

CAELIUS SECUNDUS CURIO FRANCISCO A STAVIO BARONI S. D.

Ab Antonio nostro amicissimo tuas suavissimas literas accepi; quibus tamen vereor, ne quas mihi laudes tribuis, eas potius aliorum rumore et opinione tribuas, quam quod ita esse reipsa cognoscas. Nam ut de aetate concedam, quam procul dubio sentio ingravescere; de ingenii magnitudine, deque eruditionis foecunditate certe non concedo: facile tamen te in hoc patiar errare, modo haec cogitatio te deinceps a scribendo non deterreat. Cogita igitur, quod voles; modo simul me ea facilitate esse tibi persuadeas, ut non ipse modo, qui et familiae claritate, et ornamentis ingenii, et gratia plurimum polles, verumetiam quivis alius de media plebe, et ad me literas dare, et me libere convenire possit. Illud autem recte facis, mi Francisce, qui amicitiam omnibus rebus anteponas. Omnium enim rerum quas ad beate vivendum sapientia comparaverit, nihil est maius amicitia, nihil uberius, nihil iucundius. Quod vero meam amicitiam expetere videris, id mihi demum iucundissimum est. Neque enim assentior nunc Aristoteli, qui negat, cum

adolescentulis veram et stabilem amicitiam esse posse; tum quod illi amicitiam voluptatis tantum caussa suscipere videantur; tum quia mutata aetate, alia sequuntur, quae delectent: idcirco repente et amicos fieri, et ab amore desistere. Ego vero ita censeo, sive cum adolescente, sive cum viro amicitia constituatur, modo virtutis caussa constituatur, cuius manet certa et stabilis possessio, eam quoque amicitiam certam, firmam et stabilem fore. Cuiusmodi haec est, quam tu mecum instituere cupis, in quo non modo praeclara indoles virtutis, verumetiam virtus quaedam amabilis iam apparet. Itaque te, mi Francisce, libenter accipio, amplector, exosculor: sed ea lege (nam leges etiam in amicitia constituuntur) ut, cogitatione bellorum relicta, te totum sapientiae tractandum, formandumque tradas. Nam hac ratione Deo in primis optimo maximo et sapienti, deinde mihi, meique similibus charus esse poteris. Vale.

Basileae, [1553?].

### VIII

CAELIUS SECUNDUS CURIO HENRICO BULLINGERO, TIGURINAE  
ECCLESIAE PASTORI, S. D.

Ab Hieronymo Mariano superioribus diebus tuas suavissimas literas accepi. Is mihi tuam erga se charitatem narravit, praedicavitque; quod quidem mihi novum non fuit, qui toties a te humanissime acceptus, et dimissus fuerim. Novi ego Bullingeri pietatem singularem, et animum ad calamitosos sublevandos, et veritatis causa vexatos flagrantissimum. Hoc demum est episcopum agere, et eruditione quadam eximia, christianaque eloquentia mentes regere populorum, et calamitosorum praesertim bonorum inopiam hospitalitate levare, quae duo sanctissime Paulus in episcopo requirit suo, cum et ad docendum aptum, et hospitem illum esse dicit oportere. Hosce tu numeros, et alios omnes implesti. Quare tu, tu, inquam, tu, optime frater, tuique similes, non qui tiaris et mitris quibusdam venditant

sese, et estis episcopi, et iure potestis appellari. Sed ut ad Hieronymum redeam; ego illum, quamdiu voluit, alui. Verum bonus vir et pudens, ubi agnovit se ad nullum apud nos munus idoneum esse, ad Rhetos proficisci voluit, sperans se illic aliquo pacto utilem fore. Equidem hominis consilium, praesertim non malum, impedire nolui. Quod sero nobis Biblia, tuum, Bullingere amantissime, munus sanctissimum pariter et preciosissimum, reddita fuerint, non sine iusta causa factum fuisse scio. Nam et is cui mandaras negocium, literas ad me dedit humanissimas, pietatisque plenissimas. Neque ipse unquam moram sinistre fueram interpretatus; tantum te certiozem facere visum fuit, quid esset actum in ea re, ne silentio tantum munus a tali amico missum, velle praeterire videremur. Pro quo immortales tibi gratias ago; nam me relaturum esse, polliceri non possum. Tua autem illa hortatio, qua me in extremis literis tuis ad fortiter ferenda adversa, gloriamque Domini et ecclesiam propagandam adhortaris, ea me vehementer incendit. Et cuperem saepius tali voce excitari. Nam cum saepenumero languero, tum etiam monstra quaedam me hominum terrent; qui cum homines appellentur, et christiano nomine censeantur, belluas tamen et Scythas ipsos crudelitate et impietate vincunt. Nam nihil quam humanum cruorem, et reipublicae christianae veraeque ecclesiae ruinam sitire, moliri que videntur. Scis quid dicam. Sed tamen confido, brevi Dominum nostrum, regem illum regum, supplicia et quidem atrocia, de omni immanitate, impietateque sumpturum. His paucis tecum agere volui, propterea quod nuncium ex animi sententia nactus sum. Is est meus famulus, quem mecum ex Italia duxi, quem tu vidisti. In Italiam proficiscitur, ut videat patrem. Si quid illi mandare velis, diligenter curabitur. Vale per Iesum Christum, et uxorem liberosque tuos dulcissimos, meo et uxoris nomine saluta.

29 Iulii.

## IX

CAELIUS SECUNDUS CURIO MARTINO BORRHAO S. D.  
PER CHRISTUM IESUM.

Etsi periuandae mihi fuerunt literae tuae, quibus intellexi tuam in me benevolentiam, aut potius singularem quandam pietatem, me tamen sic genus ipsum scribendi permovit, ut ad respondendum mihi omnem adimere facultatem videretur. Pudore enim eo me affecerunt, ubi primum eas literas legere coepi, ut perlegere, finemque (quamquam tu breves eas appelles, et sint) videre vix sustinerem. Nam sic cogitabam: oportet hunc praestantissimum virum, aliam de te opinionem habere, quam vel tu, Coeli, agnoscas, vel veritas ipsa patiatur. Unde autem id in mentem venerit, dicam. Nam quod initio me rogas, ne literas spernam tuas, quia longae non sunt; sed potius sint gratiae, quia breves; quis te in hanc sententiam seu mavis dubitationem adduxit, ut me aut spernere breves literas putares, aut longas adamare? Praesertim a te, cuius brevitatis, semper mihi multo et charior et gratior fuit, quam aliorum longitudo? Mihi exordium illud visum est hominis quidem modestissimi, sed qui aut sublimius de me sentiat quam par est, aut me morosiores arbitretur. Verum utrumque deponas licet. Etenim nec quicquam in me esse agnosco, quod sit magnopere suspiciendum; nec usque adeo morosi sumus, ut nobis non satisfaciat ipse Demosthenes. At recte illud addidisti, exemplo gemmarum, viribus, non magnitudine, amoris coelestis vi, non verborum copia, literas tuas et aestimandas esse, et ponderandas, cum praesertim regnum Dei non in sermone, sed in virtute positum esse videatur. Ita enim se res habet. Neque alio me loco habere tua omnia existimare debes, quam gemmarum, et earum quidem quae non ex Aethiopia usque sunt, sed e coelo ipso, atque ex divinae sapientiae thesauris fluunt et manant. Quid ais, mi Borrhaë? te mihi tuarum primitias literarum consecrare? An non dixi, te (quae modestia tua est) sublimius quiddam,

diviniusque de me arbitrari, quam merita ferant mea? Sum enim homo, et quidem infra omnium hominum dignitatem positus. Et ei homini tu sanctas istas primitias consecras, quem tu olim iam absens ad coelestem sapientiam erudisti? Fecistisque, ut paulo diligentius res divinas investigaret, quam vulgo fieri videamus? Quamobrem, aequius multo fuerat, ut ipse prior ad te scriberem, tuam amicitiam ambirem, tibi gratias agerem, meque totum tibi dicarem, nisi plane agrestis et rusticanus extissem. Coepi quidem te iampridem diligere, facta primum mihi tuae probitatis, ingenii, spiritus, sanctitatis, ex tuis literarum monumentis significatione; verum ubi loco propior factus sum, ubi cum iis qui norunt, qui te audiebant, qui multa a te beneficia accipiebant, de tua humanitate sermo haberi coepit, admirabilis quaedam exarsit benevolentiae magnitudo, quae vix ultra augeri posse videbatur. Quid est igitur, quod me, ut me amem, rogas? non quia dignus sis, sed quod divino iussu, vel indignos, atque etiam Christi exemplo hostes et impuros amare debeamus? Verum intelligo, et quid sibi ista tua rogatio velit, perspicere videor; hoc nempe, ut, si etiam indignos, et inimicos, et improbos diligere debemus, quo amoris ardore dignos, bonos, et eos fratres erga nos mirifice affectos, prosequi decet? Sic ego accipio tuas illas verborum faces, quibus me ad redamandum, hoc est ad gratiam referendam conaris accendere. Sed bono sis animo, habes quod optasti, imo ut orator bonus evicisti. Sentio (mihi crede) amoris erga te mei accessionem non parvam (est nihil accedere posse videretur) ex tuis literis factam; sic ut mihi nunc denique amare videar, antea dilexisse. Itaque nihil iam aliud superest, quam ut officiis certemus inter nos, iisque mutuam testemur charitatem. Equidem te etiam atque etiam rogo, ut mea omni opera, studio, diligentia sic utare, ut eius qui te mirum in modum et amat, et colit, et observat. Quod ut liberius facias, incipiam ipse mea quaedam consilia tecum communicare. Dialogum conscripsimus *de amplitudine regni Dei*, in quo ea quaestio perdifficilis sane disputatur, sitne Antithei regnum sive tyrannis potius multitudine maior futura, quam Dei nostri potentissimi et clementissimi respublica, quam vere

regnum et usitato nomine sanctam ecclesiam appellamus. Tota disputatio est (ut mihi quidem videtur) nec inutilis, nec inepta. Illud tamen vereor, ne mea persona ad eam rem parum idonea, quod non eo disserendi acumine, eaque facultate dicendi sim, quae tantam rem deceat, esse videatur. Quare visum est, ea de re te certiozem facere; primum ut, dum adhuc in integro sunt omnia, ea cogites, et pro tua singulari sapientia statuas; deinde etiam, quo de editione, qualeque putes doctorum et vulgi iudicium fore, ad me libere, pleneque rescribas. Eum librum ad te nunc mitterem, si et descriptum alterum exemplar haberem, et fidelem nuncium nactus essem. Curabo tamen describi, ut ad te primo quoque tempore transmittatur. Reliquum est, ut tibi gratias agam, quam possum maximas, de maximis et innumeris beneficiis, quibus quotidie fratres nostros Italos cumulas. Tuam enim istam eximiam pietatem charitatemque praedicare non cessant. Sunt ista quidem, mi Borrhaë, veri doctoris insignia, non solum excellenti doctrina homines perpolire, sed fideli etiam consilio, humanissima consolatione, christianaque liberalitate iuvare. Quod in te minus mirandum est, qui pietatem singularem cum praeclara eruditione coelestique sapientia coniunxisti. Et quamquam nihil est opus, tamen tuae humanitati iuvenes nostros tibi sic commendo, ut maiore studio non possim. Valde enim de ipsis laboro, ne quo incommodo cogantur eo proficisci, ubi tuto esse, aut satis religiose, non possint. Vale per Christum Iesum.

Lausannae, 8 Idus Decembris.

X

CAELIUS SECUNDUS CURIO

NICOLAO ZERCHINTAE, NOVIODUNENSI PRAEFECTO, S. P. D.

Non tam mihi molestum fuit, accusari abs te officium in scribendo meum; quam iucundum requiri; praesertim cum in eo quod meas literas tantopere desideras, prae te fers perspectum

mihi quidem, sed tamen dulcem et optatum amorem tuum. Nam neque oblivione amicitiae nostrae, neque intermissione consuetudinis meae superioribus mensibus ad te nullas literas misi; sed quod verebar, ne tibi in nova provincia, in qua multa solent vos attentos suspensosque tenere, molestus essem; atque etiam, quod quotidie sperabam me Genevam iturum, et te, quem hic videre non potuissem, in ipso itinere visurum. Cum enim ignarus istius vestri sim moris et provinciarum, non potui sane divinare, quo die Noviodunensis praefectus hac esset facturus iter, nisi mihi aliquis significasset. Ignosces igitur mihi, si te, dum in provinciam ires (nam postea te hic unam tantum noctem fuisse accepi) non te, ut par quidem fuerat, salutavi, tibi que novam sum praefecturam gratulatus; quod nunc facio, tibi que gratulor, etsi sero, istam dignitatem. At sera gratulatio (ut omnium morum et rerumpublicarum peritissimus Tullius affirmat) reprehendi non solet, praesertim si nulla culpa praetermissa est. Longe enim a publico itinere absum, audio sero. Sed tibi iterum gratulor, et ut sempiternae laudi tibi sit iste magistratus, exopto. Id quod fore non dubito, si omnia gubernes et moderare prudentia tua, nec te auferent aliorum consilia: nemo est qui sapientius tibi suadere possit teipso: nunquam labere, si te audies. Et quamquam tibi gratulor, hoc tamen libentius fecissem, si tibi Lausanensis provincia decreta esset. Nam sic et tua sapientia, istaque humanitate dignum munus habuisses, et nostra studia idoneum essent nacta patronum. Sed quando omnia divina providentia gubernantur, nihil praeter nostras miseras et sordes deplorabimus; et quod nobis non sis datus, nostris peccatis ascribemus.

Quod autem dicis, te ad me interpellandum, et rigida haec mea studia interturbanda, quasique barba prehensum, a libris retrahendum cogi, ut aliquando vultum isthuc obvertam vobis; in eo agnosco raram istam humanitatem tuam, et amorem erga me tuum. Sunt mihi ista (mihi crede) tam grata, quam quae gratissima: tametsi hoc quod agis, interpellare non est, nec a studiis revocare, sed allicere potius, atque ad sapientiam, segnem atque languentem incitare. Neque vultum

necesse est ad te obvertam meum, qui abs te intervallo locorum divisus, animo, fide et benevolentia, quae nullis locorum spaciis intercludi possunt, coram semper sum, tecumque coniunctus. Quare si tibi nemo est charior (quod et scribis, et facile mihi persuadeo) est quod praeter caeteros omnes gaudeam; verum non dubito, ut me in amore vincas; te enim sic diligo, colo, observo, ut nemo a me tibi anteponi posse videatur. Et merito nam ea in me beneficia extiterunt tua, ut non satis esse arbitrer in amore respondere, nisi etiam superem; quod si minus queam, vitam mihi acerbam putem. Et quamquam in referenda gratia par esse non possum, in habenda tamen non solum parem, sed et superiorem me fore, non dubito. Ago enim tibi et habeo gratias immortales, habeboque dum vivam.

Quod vero Pythagoreos esse existimas, quotquot a nobis isthuc veniunt, non male existimas; non ob silentium solum, quod quidem saepenumero laudabile est, verumetiam ob superstitionem, qua non Pythagoreos modo, verum Essenos quoque longe relinquunt, ut qui piscibus solis victitantes, piscibus muti magis efficiantur. Non mirum igitur, si et nos, qui cum illis sumus, muti pene efficiamur; nunquam enim homines a Gratiis et Musis; sed finem facio, ne (ut stulti) dum vitium unum fugio, in contrarium incurram; coram enim, si me ex quibusdam negociis expediero, cum coelum praesertim clementius fuerit, confabulabimur et ridebimus. Vale, et si tecum (quod non dubito) uxorem et familiam totam habes, eam meo et uxoris nomine salutes, rogo amice, honorifice et officiose.

Quinto Calendas Ianuarias, Lausannae.

## XI

CAELIUS SECUNDUS CURIO RAIMUNDO FUGGERO S. D.

Cum hac iter faceret vir omni genere humanitatis praeditus, Thomas Marcus Florentinus, operereturque illum hic aliquot dies esse, ut equum de itinere fessum reficeret, secundo (ut



mea opinio fert) meo fato contigit, ut eius consuetudine fruerer. Nam ut est eius humanitas et mos, cum quaereret a quibusdam, ecquis nam hic esset, quicum de genere aliquo virtutis colloqui posset, oblatus sum ei ego, non qui talis essem, sed quem talem arbitrarentur. Verum qualis ipse cumque sim, secunda (ut dixi) mea fortuna id accidit, quod mihi possum iure gratulari, qui ex eo congressu duorum praestantissimorum virorum notitiam habuerim: quos ego mihi libenter patronos optaverim, si me eum esse putarem, quem ipsi idoneum clientem habere dignarentur. Nam cum inter nos de viris hoc seculo praestantibus et claris, qui cum generis splendore felicitateque fortunae, virtutis ac literarum cultum coniunxissent, sermo haberetur; te unum mihi praedicabat, in quo fortunae et corporis bona, cum animi atque ingenii bonis, pulcro quodam quasique aureo nodo necterentur. Illud autem mihi supra huius tempestatis morem, plane quam divinum est visum, quod ab eodem audivi, te in tantis bonis, tanta modestia atque humanitate ornatum esse, ut neminem asperneris; in quibus autem aliqua significatio virtutis appareat, eos et colere, et amare, et praemiis afficere consueveris; adeo ut quae res alios plerosque insolentes faciunt, eae res tuum animum ad omnem humanitatem instruxisse videantur. Quo fit, ut ab omnibus vicissim ameris, colaris, observeris. Praeclare enim Ovidius mihi sensisse videtur, cum cecinit:

Artibus ingenuis, quarum tibi maxima cura est,  
pectora mollescunt, asperitasque fugit.

. De te enim vere ista dici possunt, qui cum dignitate principibus par sis, facilitate tamen quovis homini inferior esse videaris. Verum ne tua ista facilitate hisce meis literis abuti videar, ad te ut scriberem Thomas est adhortatus: meque duobus numismatis aureis, eisque satis gravibus, donavit, illud tamen praefatus: — Hoc munusculum accipies, Caeli, quasi de clarissimi Raimundi Fuggeri manu, nam et si ille hoc ignorat, qua tamen animi amplitudine est, et erga doctos propensione, scio me illi rem gratissimam facere, qui bonos viros ad eius applicem amicitiam; erit tibi hoc eius in doctos animi et voluntatis indicium. —

Itaque si quid a me peccatum est, in eo quod te a gravioribus curis ad hasce meas literulas sum ausus revocare, eidem ascribes, eique succensebis, non mihi, qui humanissimi et prudentissimi viri, erga te vero mirifice affecti, consilio acquievi. Sed nihil est quod hoc timeam, quando ea est tuorum lenitas morum, atque suavitas, quae vel ineptissimorum possit ineptias ferre. Vale.

[Basileae], Idus Februarii, 1548.

## XII

CAELIUS SECUNDUS CURIO G. N. S. P. D.  
PER CHRISTUM IESUM.

Diu, equidem fateor, literas a Cognato meo, viro omni humanitatis genere perpolito, expectavi; non quo existimarem eos nobis aliquo modo deberi, sed quod ita gauderem me a tali amari viro, cuperemque et quod cuperem (sic enim fit, ut quod vehementer optamus, id iamiam adesse videatur) iam certum raturumque expectarem. Nec fefellit expectatio. Dum enim in hac sum cogitatione defixus, ecce fores pulsat quidam, venit ad me. Video eum esse, qui mihi primas attulerat aestate superiore literas. A te reddit epistolam. Illico manum tuam elegantem agnovi; sustuli manus; aperio, avide lego, solitam elegantiam et suavitatem recognosco. O me fortunatum, inquam, cui unis literulis ad huiuscemodi hominis amicitiam viam munire, Deus ille noster verae sanctaeque necessitudinis auctor, dedit; quod quidem me assecutum esse, proximae tuae literae, quamvis breves, facile declarant, in quibus literis omnia φιλοπροσλιπέξια persequeris. Excusas, gratias agis, idque de nihilo; deinde quae optanda sunt ad Christi optimi pastoris gloriam, gregis salutem, optas. Mones postremo, et hortaris nos; quibus rebus nihil mihi gratius, nihil iucundius potest contingere. Nam et eis rebus nostra imbecillitas sane indiget. His omnibus accessit, quod nos pulcherrimo munere donasti, eoque a Musis, quas

colimus, nequaquam abhorrente. Nam Bacchus et Apollo idem sunt, si veteribus, iisque sapientioribus credimus. Apollo autem Musarum antistes perhibetur. Quid, quod Bacchus pacis concordiaeque σύμβολον esse dicitur; ut hac re ei quoque cum Gratiis, quae comites sunt Musarum, praeclare convenire intelligamus? Lagenae vero forma et artificio, quid venustius? Laudavit quidem pastor ille Menalcas apud Maronem nostrum, divini opus Alcimedontis. Verum si ista vestra toreumata quae ad domini Claudii elaborantur (qui utinam ob hoc solum adiretur) vidisset, nae sua illa prae istis contempsisset. Quare cum pro tam eleganti munere, tum pro isto tuo erga me animo, tibi quas possum, gratias ago. Nam me relaturum esse, polliceri non possum; habiturum certe, possum. Hoc tamen tibi persuadeas velim, qui te magis amet, colat, tuamque scribendi elegantiam (aliquot enim tuas lucubrationes degustare coepi) magis admiretur, te inventurum esse neminem: quod quidem, si libeat periculum facere, facile cognosces. Vale, et tua ista literarum suavitate fac me saepius perfundas.

Basileae, Nonis Ianuarii, 1548.

### XIII

CAELIUS SECUNDUS CURIO G. N. S. P. D.

Et literas tuas amantissimas superioribus diebus accepi et hodie quoque Magdenburgensium deditiois capita, pro quibus omnibus tibi gratias ago. Nam in utroque tuam in me benevolentiam declarasti, qui nullis locorum et temporum intervallis, amicitiae inter nos divinis auspiciis initae memoriam obscurari sinis. Nec est quod de meo animo dubites. Prius enim coelum et reliqua, quam Curio tuus, te tuaque curare, summoque opere amare desinat. Mutari omnia possunt, quin potius mutantur et intereant necesse est, quae hominis manu et ingenio facta sunt; sed quae digito Dei (ut consecratis verbis utar) sunt effecta, ea non viribus ullis frangere, nec duro poteris convellere ferro.

De conditionibus illis, aliter qui hic apud nos fuit legatus Magdenburgensium narravit; nimirum aequissimis conditionibus, et talibus, quas nunquam sperare ausi essent, compositionem factam esse; atque etiam totius obsidionis commentarios attulit. Sed tamen existimo, etiam quae ad me misisti, non esse prorsus vana; siquidem a fidis, ut arbitror, accepisti.

De concilio vero nihil habeo, quod dicam; nisi id esse Gigantum cum Deo bellum. Nam conantur Pelio imponere Ossam, scilicet, atque Ossae frondosum involvere Olympum. Tu, quae sequantur, nosti. Trium principum ludum, tibi, ut iussisti, latinum feci; sed crede mihi non potest nativa illa Italici sermonis vis in tali ludo servari. Tota enim res sita est in quibusdam propriis ludi formulis, atque genere. Is apud nos vocatur *il giuoco de la primiera*. Fortassis erunt apud vos, qui cur ita appelletur, melius intelligant. Nam ego prorsus rationem eam ludendi ignoro. Tu vero ea etiam intelliges, quae a me satis exprimi non potuerunt. Vale, et Christo vive.

Basileae, 5 Februarii, [1552].

#### XIV

CAELIUS SECUNDUS CURIO  
CLARISSIMO VIRO PHILIPPO MELANTHONI SUO  
PER CHRISTUM IESUM S. P. D.

Iam tertia haec est epistola, quam ad te ab eo tempore, quo ad me scripsisti, hoc est a superioris anni Maio, dedi; nihil tamen literarum ego a te interea temporis accepi. Quod si idcirco accidit, quod aut meae tibi redditae non sunt: aut quia tuae ad me sive hominum negligentia, sive perfidia non sunt perlatae, ferendum utrique est. Quamquam vereor, ne hisce calamitosis temporibus, ac in tanta Germaniae perturbatione, interceptae potius fuerint. Semel ego Francfortum miseram, deinde Nurembergam Christophoro Lindnero; hanc autem tertiam omnino ad te perferent, ni fallor, duo hi iuvenes Svedi, quos tibi notos

esse non dubito, utpote qui diu sub tua disciplina fuerint; quos tibi rursum commendatos esse cupio. Quod aliis meis literis scribebam, illud erat, me non minus cupidum tuae amicitiae semper fuisse, quam te literis ad me tuis mei studiosum esse declarasti; optavique semper occasionem aliquam dari meae erga te voluntatis testificandae; quod si fieret, videres te hominem nactum esse, cuius fides, benevolentia, studium, observantia, nulli tuorum amicorum postponenda esset. Equidem admodum adolescens adhuc, cum prima tua monumenta legissem, te ita amavi, ut vix ulterius progredi meus in te amor posse videretur; quem tamen processu aetatis subinde augeri sensi, ita ut saepenumero praesens praesentem complecti concupiverim. Sed multa et varia pro sanctissima religione certamina, tum etiam uxor charissima, multitudoque liberorum, praesertim vero adversa valetudo, impediverunt. Sperabam autem me huius perpetui desiderii compotem fieri aliquando posse, si tu, quod rumore ferebatur, propter patriae tuae perturbationem ad nos transivisses. Et quamquam id in tantis malis solatio mihi, et huic genti ornamento fuisset; tamen gavisus sum, cum audirem nos isthic firmam de religione sententiam retinere, et bonarum artium studia utcumque tueri posse. Itaque, mi Philippe, quamquam nec quae tu mihi tribuis, nec quae L[aelius] S[ocinus] noster apud te de me praedicavit, agnosco, nisi quod amborum erga me voluntatis significationem libenter amplector; tamen ita me tuis illis literis, novo quodam amoris vinculo devinxisti, ut nulla dies unquam id remittere vel tantillum, ne dicam solvere ullo modo possit.

Nihil scribo de rebus novis, deque omnium rerum confusione, quam continuis prosequor lachrimis, quod hi iuvenes, qui ex ipsa urbe Roma recenter veniunt, et Germaniam peragrarunt, tibi, quae agantur, narrare poterunt. De Logodaedalo, illud quoque scripseram ad te, mihi videri eius ineptias esse refutandas; ac non dubitare me, tibi idem videri; quamvis temporibus hactenus fueris retentus, et a scribendo retardatus; ac fortassis etiam novis vestrorum quorundam theologorum dissensionibus profecto satis intempestivis. Sed ita fieri necesse

est, ut probati in religione viri, atque ex altera parte incostantes et vani patefiant. Oremus patrem coelestem, ut errantes in viam revocet, ac perfidiam hominum impiorum in lucem pertrahat. Antequam epistolam claudam, essent tibi a me agenda gratiae de eo quod te tuaque omnia mihi tam humaniter obtulisti; sed quibus id verbis faciam, non invenio. Tantum illud dicam, te ea tibi de me polliceri posse, quae de intimo ac germano fratre pollicerere. Vale, et aliquanto saepius ad me de vestris rebus perscribe; equidem idem sum familiariter, diligenterque facturus.

Calendis Decembris, Basileae.

## XV

CAELIUS HORATIUS CURIO

CASTRUCIO CASTRUCII FILIO, PER CHRISTUM IESUM S. D.

Cogitavimus diu pater et ego de aliquo munusculo, quod ad te mitteremus. Sed cum iis rebus, quibus nos pueri delectamur, non indigeas, vel abundes potius (utpote qui in ista civitate es tam lauta quam nobili merciumque omnis generis refertissima) non facile inveniebamus, quod ista tua aetate, nobilitateque, dignum videretur. Tandem a patre mihi oblata sunt libelli duo; quorum in altero sacra religionis Christianae summa continetur: in altero selectae aliquot Ciceronis, latinae linguae principiis, epistolae, huic nostrae aetatulae accommodatissimae.

Quibus accedit educatio puerilis linguae graecae, cum quibusdam Aesopi fabellis graecis et latinis, quae pariter ad hanc nostram educationem, tamquam infantiae iucunda ubera, selectae fuerunt. Illico rogavi patrem, num eiusmodi libelli idonei essent, qui ad te mitterentur. Annuit pater, ac subridens: — Bene habet, inquit, iam Horatius noster amicitiam incipit colere, simulque alteros pares habendos curavit. — Hos igitur ad te nunc, mi Castruci, dono mitto. Curabis tu, ut a paedagogo tuo, atque adeo nostro, (quando una principia literarum ab eodem didicimus)

tibi hi libri explicentur, quod et mihi pater facit, ut simul fundamenta iacias cum eloquentiae, tum sinceræ religionis. Quo fiet, ut et Deo et hominibus cari simus. Vale, et saluta meo nomine matrem tuam ornatissimam, quæ et mihi, dum tecum essem, mater erat, et sorores tuas elegantissimas, Catarinam et Lucretiam et parvulum fratrem, et praeceptorem, et quotquot de familia sunt. Vale per Iesum.

8 Calendas Iulias.

## XVI

CAELIUS SECUNDUS CURIO

NOBILISSIMO ADOLESCENTI ABRAHAMO SBASKI, EQUITI POLONO,  
PER CHRISTUM IESUM S. P. D.

Quid querar, charissime Abrahame? tene oblitum esse nostri, quem in oculis ferimus, quem deperimus? an tempora hæc calamitosa, an perfidiam sive negligentiam tabellariorum accusabo? Te oblitum esse nostri, quos tantopere diligas, vir omnium humanissimus et gratissimus, qui tam sancte, tam saepe te ad me scripturum pollicitus sis, mihi persuadere non possum. Itaque aut literæ non sunt mihi redditæ, aut gravissimis de causis scribere non potuisti. Equidem bis ad te Nurembergam, ut condixeramus, literas dedi; a te autem nullas unquam, post Schafusianas, literas accepi. Quod nisi proxime a Stancaro nostro literas accepissem, quibus intellexi meas ei a te redditas esse Francoforti ad Viadrum, ne quid in itinere, tam perturbatis omnibus, tibi accidisset, vehementer metuerem. Flevimus omnes tuum discessum, praesertim eius temporis, Deumque pro vestro felici itinere continenter sumus precati; quod vos etiam sensisse non dubitamus. Dolia tua adhuc hic sunt. Nam ita iussisti ne sine tuis literis et iussu mitterentur; nec etiam si iussisses, in tanta pericula, tantamque praedonum licentiam, cum nulli alii mitterent, missuri eramus. Iam igitur tuum erit videre et mandare quid fieri velis; vereror enim, ne aliquid eorum quæ inclusa sunt, praesertim vestes, corrumpantur.

Quare, ut dixi, quid cupias scribe. Cupimus autem scire quid rerum agas, quae tua studia, quae exercitationes, qui profectus, in literis, in religione sanctissima, in republica; et quid valeat sanctissima foemina simulque nobilissima mater, soror, frater, propinqui; quorum omnium bono haud secus, quam nostro proprio, gaudeo. Nos hic Domini beneficio valemus, uxor, liberi, Hieronymus. Munsterus noster, paulo post tuum discessum; aliquanto post etiam Myconius, primus in hac urbe minister et pastor, ex hac vita migrarunt. Bellum ingens in Lotharingia, ad Metim urbem in Mediomatricibus, quam Divodurum a veteribus appellatam puto. Metim Caesar obsidet, Galli tumentur. Tota Belgica bello maximo flagrat; incensis innumerabilibus oppidis, castellis, villis, ac miserorum incolarum direptionibus agitur: nec ulla compositionis spes, nisi altero deleto. In Italia quoque ingens renovatur bellum, propter Senam, Hetruriae urbem clarissimam, a Gallis captam. Patria est L[aeli] nostri, a quo proxime literas accepi, in quibus Sbaski humanissimi suavissimam et amantissimam, plenamque desiderii mentionem facit, rogatque ut si quid de te acceperim, ad eum perscribam. Facit tamen sui ad nos reditus spem. Ac de his hactenus.

Venio nunc ad quoddam meum consilium tibi explicandum. Scripsi *de amplitudine regni Dei* opus varium, ex divinorum oraculorum penetralibus erutum, solidae consolationis ac doctrinae plenum. Dialogis duobus summa gravitate res agitur, suo tamen sancto lepore sermo conditus est. Operis magnitudo erit pulcherrimis typis, ac mediocribus, triginta foliorum, octavae formae. Hoc opus cui dicare cogitem nosti; sed prius velim audire consilium tuum, et si probes, per quem sit offerendum, per tene, an per alium, per te mihi conciliatum. Quamobrem te etiam atque etiam oro, ut mihi respondeas, ut intra Martium ad summum tuas literas habeam; et simul eius titulos mihi conscribas, ut omnia plenissime cumulemus. Poteris facile mihi literas tuas curare per idoneos mercatores, easque non solas, sed per alios atque alios duplicatas, ut aliquae saltem ad me perferantur. Est aliud opus in manibus,



quod tibi, ubi de statu tuo certior factus fuero, dicabitur. Quamobrem si me amas, si meis liberis bene et fortunate cupis, confice quae postulo. Et cave putes te hominem habere, qui te magis amet, quam Caelius tuus. Salvere te de meliore nota iussit uxor mea; itemque Augustinus meus, et Angela, et Caelia, et Felix, qui crescunt, discunt, teque omnes amant. Noster Hieronymus brevi medici insignia accipiet. Nam belle profecit; iussitque te eius nomine salutarem. Offert operam suam, si medicum Italum, ac tui amantissimum, non asperneris. Vale, mi charissime Abrahame, et matrem clarissimam foeminam, sororemque et alios propinquos meo nomine saluta, qua vales humanitate, humanissime.

Basileae, Calendis Decembris, [1552].

Salutabis nobis Stanislaum tuum, iuvenem moderatum, et mihi periucundum.

## XVII

CAELIUS SECUNDUS CURIO  
PER CHRISTUM IESUM S. P. DICIT G. C. N.

Gratae literae, grata munera, sed omnium gratissimus tuus iste in me amor, e quo tamquam limpidissimo fonte illa hucusque redundarunt. De caballis risimus. Nam cum quid caballarum nomine intelligeres, haesitarem (existimabam enim te mecum amice iocari, aut aliquam subesse ἀλληγορίαν) idque tuus nuncius subolfaceret, facete illico: — Faxo, inquit, ut mox intelligas, ipsasque bestias videas —; simulque arrepta crumena, totidem equos repraesentavit, quot tu caballas scripseras. Mihi hic meus error non mediocrem attulit voluptatem, praesertim cum viderem, me non modo in sexu, verumetiam in usu lucrum fecisse; quippe cum pro foemellis, masculos, pro foenivoris argenteos acceperim. Itaque longe pluris hic tua ista munera fiunt, quam isthic; ut intelligas huius urbis vim quandam divinam, in qua rerum

naturae in melius commutantur. Permagni enim refert natura loci, ut de pomis Perseis legitur, quae cum in Persia laetifera sint, alio translata, salubria atque innoxia fiunt. Itemque de quodam Pannoniae fonte, in quem coniectum ferrum, in aes purissimum commutatur. Vide quid agam, qui in tanta omnium rerum perturbatione, tecum iocer. Sed quid agas? Sinamus principes insanire; nos de nostris literulis, de bene beateque ex Christi Domini voluntate vita traducenda, inter nos agamus: mutuo cohortemur, ne in cassum cucurrerimus, aut curramus in posterum. Atque ad hoc facit, quod anno superiore, de mercatore et mercibus scribebam; quod quidem te, quo vales acumine, intelligere non dubito. Nam et, ut ita inter nos ageretur, cum hic esses, erat constitutum. Gallicus Pasquillus placet, et vera sunt quae dicit, si modo Gallo initio belli aliud non fuit propositum, a quo prodicionibus, perfidiosisque artibus quorundam aberrare necesse fuerit. Verum, ut dixi, ista summus rerum arbiter viderit. Tu fac, quemadmodum polliceris, proximo Februario nobis adsis, qua re nihil gratius mihi potest contingere. Sed ea lege, ut mecum diutius sis, quam tunc fuisti, ut sit de multis commentandi et colloquendi spacium. De isto nobilissimo adolescente, gratissimum est quod monuisti, et curabo, ut brevi in eius nomine aliquod nostrum extet monumentum. Tu interea illum meo nomine plurimum salutabis, nosque in eius gratia conservabis. Sed velim ad me quamprimum eius titulos, et patriam, et familiam, et studia conscribas, ut clarum, et nostri studiosum adolescentem, pro ea ac ipsius dignitas meretur, exornare possim. Mitto tibi Magdenburgensis obsidionis commentarios; neque pro tuis donis praestantibus tibi, ut debeo, gratias ago, quoniam quibus verbis id faciam, non invenio. Verum pro gratiarum actione, amorem mutuum, fidemque repono, quibus te in sinu fero, nec discingor. Vale, mi charissime N., per eum qui solus salutem atque immortalitatem donare potest.

Basileae, XVI Calendas Ianuarias, [1552].

## XVIII

## LITERARUM ET MERCATURAE COMPARATIO

CAELIUS SECUNDUS CURIO TH. TR. SUO S. D.

Qui isthinc ad nos veniunt, nobis renunciant, te non crebro in publicum prodire: cum vero prodis, te magna tui miseratione moveri, quod pallidus totus, ac squalidus, mortuisque quam vivis similior illis esse videaris. Hoc nisi vestras istas literas, et studia efficere certo scirem, cupidinis philtra, maloque veneno intincta tela, esse non dubitarem. Quid tibi animi est? An tibi eadem opera, te, tuosque omnes perdere est constitutum? Equidem satis perspicio, faterique non dubito, istum vivendi morem, ista studia, non modo ipsi tibi (cuius me longe magis quam aliorum miseret) verum innumeris quoque aliis partim damno, partim dedecori fuisse. Equidem veterum memoria dubitatum fuit, nostraque ambigitur, boni ne an mali plus attulerit hominibus et civitatibus cognitio literarum; quas ut modicas probo, ita summas atque immodicas mehercle nequeo non summopere improbare. Nam et cum nostrae civitatis aliarumque detrimenta considero, et maximorum virorum veteres animo colligo calamitates, non minimam video ex literis manare partem incommodorum. Verum ne in nostrorum hominum offensionem cadam, veterum potius quam novorum exempla mihi breviter repetenda sumam. Inter quos Socrates mihi primus occurrit, Apollinis oraculo sapientissimo iudicatus; is tamen cicutam bibere, Aristoteles et Demosthenes solum exilii causa vertere, Plato pediculos (quis hoc credat?) ad necem usque pati coactus est. Ciceroni quidem et manus, et caput (nefas) istae usque adeo laudatae literae, artesque praeclarae abstulerunt. Quid reliquos numerem? Fuerunt et sunt innumerabiles, quibus literae non modo probro, verumetiam exitio fuerunt. Nam vix unus aut alter reperietur, cui non maiori dispendio quam compendio, ignominiae quam ornamento summa cognitio exstiterit literarum. Ex his enim morbi exitiales et perniciosi, unde interitus; ex

iisdem rei familiaris neglectus, unde egestas, ex egestate contemptus hominum, ex contemptu desperatio, a qua deinde difficillimum omnino non cadere (ut natura in deteriora semper prona sumus) in flagitium aliquod detestandum ad perpetuam hominis infamiam, et magnum civitatis damnum, et saepenumero posteritatis universae. Verum donemus, ex tot laqueis alios nonnunquam posse evadere; haud video qui tu omnes possis effugere, non quod tibi diffidam, sed humanae conditioni, temporibus, infirmaeque corporis tui constitutioni; quam, exercitationem moderatumque laborem desiderare crediderim, quo animus fiat serveturque alacrior, corpus vegetius: vel qualis haec mercatura, quam ego utilitate, eaque non minus publica quam privata, dignitate et laude, cunctis artibus, nedum literis praeferre non dubitem. Ac primum exercitatione corporis et labore hominem totum melius habere, magisque vigere, non modo a medicis dictum est, sed reipsa saepissime compertum; quod qui negant, hi non vident, ut equum ad cursum, canem ad indagandum, bovem ad arandum, sic hominem esse natum ad agendum; quod tum profana, tum divina scripta testantur. Praeclare Celsus, Hippocrates ille Romanus: « Ignavia, inquit, corpus hebetat, labor firmat; illa maturam senectutem, hic longam adolescentiam reddit. » Iam agris colendis operam dare, atque artibus eiusmodi, quarum omne opus est in faciendo, aut agendo (quamquam spernendae non sunt) non omnes satis decet. Mercatura huiusmodi est, ut quodlibet imbecille corpus firmare, quemvis animum tristem sua illa varietate (in qua sola omnem voluptatem et delectationem natura constituisse videtur) oblectare, exhilarare et conservare possit: tam honesta et liberalis, ut homines alioqui clarissimos priscis temporibus hanc sequi atque exercere non puduerit. Inter quos (ut a Plutarcho accepimus) magnus ille Solon fuit, qui saluberrimas Atheniensibus leges tulit; et Hippocrates Cous, omnis medicinae parens, cuius decreta etiam nunc velut oracula habentur; et divinus ille Plato, qui si in ea perseverasset, nec in tanto hominum odio fuisset, nec tam miserabiliter mortem oppetiisset. Nostra quoque aetate an non haec peculiare quoddam ornamentum, deliciae

virorum principum est? Quid ad tantam potentiam Venetos, Genuenses, Lucenses, Florentinos, Nurebergenses, Augustanosque perduxit? Quid Italiae tot familias, ad summam fere nobilitatem extulit? Quid infinitis prope opibus adauxit, nisi mercatura? Testes sunt Fuggeri, Grimaldi, Saulii, Bonvisii, Strozzae, Medices, cum quibus reges Caesaresque ipsi connubia, affinitatesque coniungere non dubitant. Laurentii enim Medicis filiam, Clementis pontificis Romani neptem, filio suo Henrico, regi Galliae designato, Franciscus rex eius nominis primus, despondit et copulavit. Carolus vero Caesar filiam Alexandro Medici, primo Florentinorum Caesaris auctoritate principi, in matrimonium tradidit. I nunc, et mercaturam ignobilem, aut indecoram dicere aude, cum qua coniugia et affinitates terrarum domini contrahere, sibi laudi et commodo fore ducunt. Atque ita quidem convenit, ut cum deorum inventum sit, heroum quoque et principum sit illa proprium et munus et ornamentum. A Libero enim patre hanc asserit Plinius esse inventam, tametsi Diodorus huius praeclaræ facultatis Mercurium inventorem esse velit. Non deinde parvo mercatura praesidio est, sed maximo, maximeque necessaria, utpote cuius beneficio, regiones civitatesque plurimae natura steriles, et quae alioqui in summa rerum omnium versarentur inopia, foecundae, opulentaeque redduntur; cuius rei Venetiae, Genua, Andverpia, atque aliae pleraeque testes locupletissimae esse possunt. Multarum quoque ac magnarum rerum experientiam, usumque, unum prudentiae sapientiaeque parentem homines docet. Ad haec, amicos nobis nusquam non comparat, et ad principum familiaritatem contrahendam momentum magnum habere censetur. Quapropter a Marco Tullio haud temere dictum esse puto, mercaturam copiosam iure optimo posse laudari. Quin et legumlatores in suis civitatibus, hanc non in postremis habendam censuerunt. Quid vero tale habent vestrae istae disciplinae theoreticae, quae in sola ingenii atque animi cognitione versantur, semper quidem famelicae, semper sepultae, hominum ignavorum, nulliusque precii et inventa pariter et delinimenta? Quid ignavis atque ociosis illis artibus homini opus erat? cum et corpus ad omnem functionem abile et rationem,

orationemque a natura, aliaque adiumenta rerum gerendarum haberemus. Innumeros semper homines excellenti animo ac virtute fuisse, et sine doctrina, naturae ipsius habitu prope divino, per se ipsos et moderatos et graves extitisse, non ignoramus. Quod ego Deum optimum maximum singulari consilio ostendere voluisse credo, quo nos doceret quam vani essent isti labores et sciendi cupiditates effrenatae, probaretque nobis saepius ad laudem atque virtutem naturam sine doctrina, quam sine natura valuisse doctrinam. Quod si sapientissimorum quoque de hac re sententiam audire cupis, accipe quid unus pro omnibus mortalibus sapientissimus mortalium Salomon dicat: « Animum — inquit — ad scientiae stultitiaeque et prudentiae cognitionem appuli meum et deprehendi eam quoque esse animi molestiam ». Nam cum multa sapientia, multa quoque coniuncta molestia est. Et qui scientiam acquirit, simul acquirit quod eum discruciet. Sed nolo de iis tecum pluribus agere; si ad nos veneris et hanc nostram mercaturam aliquot dies degustaveris, dices (scio) hanc viam esse felicitatis, et proprium hominum munus, Deorum munere commonstratum; umbratiles vero istas literas, studia infaceta et incondita, calamitatem, pestem, perniciemque miserorum esse mortalium.

Vale et ne me εἰρώνα.

---

NOTA





I.

Aonio Paleario (n. a Veroli il 1503 m. impiccato a Roma, per sentenza dell'Inquisizione, il 3 luglio 1570) scrisse quest'opera, la piú organica della letteratura riformistica in Italia, a piú riprese. Ne incominciò la composizione verso il 1536, quando si parlò di un concilio da tenersi a Mantova coll'intervento dell'imperatore e di molti principi della Germania. Ma allora stese solo le venti brevi testimonianze, che precedono il libro, proponendosi di recitarle « *neglecto capitis periculo* » in presenza dello stesso pontefice nel pubblico concilio. Non essendosi questo tenuto, sviluppò, non sappiamo con precisione quando, i suoi venti articoli in una lunga requisitoria, a cui pose il titolo di *Actio in pontifices Romanos et eorum asseclas*. Proponendosi di farla recitare un giorno nel concilio universale libero, che egli auspicò nella famosa lettera diretta a Lutero, a Butzer, Melantone e Calvino, la tenne prima nascosta fra le sue carte; inferendo poi la reazione cattolica in Italia, nel 1566, la mandò a Teodoro Zwinger a Basilea, raccomandandogli per allora di conservarla. Ma il concilio desiderato dal Paleario non si tenne mai, e l'*Actio* rimase sconosciuta fino al 1596, quando se ne trovò una copia ms. a Siena. Venne pubblicata a Lipsia dieci anni dopo (ex officina Voegeliniana). Fu poi ristampata, insieme con le altre opere del Verulano, ad Amsterdam nel 1696 (ap. Henricum Wetstenium), e infine, per cura dello Hallbaver a Iena nel 1728 (ex off. Christ. Franc. Buchii). Nel 1861 ne fu pubblicata a Torino una traduzione italiana, non fedele, a cura di Luigi De Sanctis. Ho tenuto presente in questa ristampa il testo dello Hallbaver, e l'ho riscontrato con quello di Amsterdam, in cui fu riprodotta la prima edizione lipsiense.

La biografia del Paleario ci è abbastanza nota attraverso una serie di ricerche, i risultati delle quali sono raccolti nel buon libro di GIUSEPPE MORPURGO, *Un umanista martire Aonio Paleario e la riforma teorica italiana nel secolo XVI* (Città di Castello, S. Lapi, 1912). Si è accennato alle circostanze, che portarono il Verulano a scrivere la sua invettiva. Probabilmente egli volle ripetere lo *Appello* lanciato da Lutero all'imperatore e alla nobiltà tedesca per la riforma della chiesa cristiana, e fare quanto si praticò nella dieta Augustana del 1530, allorché, in presenza dell'imperatore e dei principi, Bayer lesse la *Confessione* redatta da Melantone. Ma dai riformatori stranieri il Paleario trasse per la sua invettiva non la sola ispirazione, bensì anche la materia. L'originalità di lui sarebbe dunque scarsa per non dir quasi nulla, se non avesse conservato una certa indipendenza di giudizio, respingendo, ad esempio, il giuramento ammesso dai protestanti, salvo che dagli Anabattisti, e dichiarando il matrimonio un vero e proprio sacramento (cfr. pp. 64 e 74 sgg.). Si deve anche notare che le varie *Testimonianze* comprese nell'invettiva del Verulano sono esposte e sviluppate in una forma nuova, ricca di calore e di convinzione, la quale conferisce allo scritto, qua e là alquanto prolisso, una forza notevole, e lascia trasparire il vigore dell'oratore umanista.

Ciò che però costituisce, secondo me, il valore principale dell'*Actio* è la spiegazione storica, che è anche giustificazione, dei mali deplorati dal Paleario. Infatti egli inizia il suo dire col mostrare come nella dottrina e nella pratica cristiane, rappresentate dagli apostoli, si insinuassero, contaminandole, asserzioni e cerimonie predicate da falsi apostoli. Di qui l'origine dei gravi inconvenienti denunziati poi nel corso dell'invettiva. In sostanza il Paleario, risalendo alle origini del male, che vuol combattere, finisce, forse senza volerlo, con l'indebolire il vigore della requisitoria contro il male stesso; né si può dire, se egli fosse davvero comparso un giorno nel concilio a leggere quanto aveva scritto, con quanta sopportazione i principi tedeschi, ai quali fa appello continuamente, avrebbero ascoltato l'umanista italiano. Ma tant'è: lo storicismo e il realismo caratteristici del nostro pensiero appaiono anche in questo scrittore e ci danno modo di intendere perché una Riforma non sia mai potuta attecchire in Italia.

## II.

Delle lettere e degli scritti di Olimpia Morata (n. a Ferrara il 1526, m. in Heidelberg il 26 ottobre 1555) si fecero ben quattro edizioni nel cinquecento. La prima uscì a Basilea il 1558 a cura di Celio Secondo Curione e fu dedicata a Isabella Briseña Manrique, amica di Giulia Gonzaga e seguace delle dottrine riformate, ragion per cui dovette rifugiarsi in Svizzera. La seconda comparve pure a Basilea e a cura dello stesso Curione nel 1562 con la dedica a Elisabetta Tudor regina d'Inghilterra; la terza e la quarta uscirono sempre a Basilea rispettivamente nel 1570 e nel 1580, quando il Curione era già mancato ai vivi. Le due ultime edizioni contengono in più delle precedenti alcune nuove lettere di Olimpia e gli scritti e le lettere del Curione, che videro la luce in Basilea il 1553. Per la presente raccolta mi sono servito della terza edizione, che porta il titolo seguente: «*OLYMPIAE FULVIAE MORATAE foeminae doctissimae ac plane divinae Opera omnia, quae hactenus inveniri potuerunt cum eruditorum testimoniis et laudibus. Basileae ap. Petrum Pernam MDLXX*».

Le lettere della Morata a noi note sono 52: e le ho riprodotte quasi tutte, perché ritraggono fedelmente l'animo e le vicende infelicissime di una delle personalità più caratteristiche del nostro movimento riformatore nel Cinquecento. Invano si cercherebbero in esse notizie dettagliate sul periodo della giovinezza trascorso a Ferrara. Gli studi umanistici, la dimora alla corte di Ercole II, la morte di Fulvio Pellegrino Morato, la rottura con Renata d'Este e l'abbandono della Corte, la vita triste nella famiglia paterna, le nozze con Andrea Grunthler, l'antefatto insomma del dramma, di cui Olimpia fu protagonista, è appena adombrato e si vede quasi solo di scorcio nell'epistolario. Ma esso acquista eccezionale valore biografico allorché descrive la vita dei due giovani nelle varie città della Germania, a Kauffbeuren come ad Augusta, a Würzburg come a Schweinfurt, e infine in Heidelberg. Nella prima delle suddette città furono ospiti di Giorgio Hermann consigliere del re dei Romani: a Würzburg stettero presso Giovanni Sinapi, già professore di medicina e medico di corte a Ferrara. Li aveva seguiti in Germania il minor fratello di Olimpia, un ragazzo di

otto anni. Un giorno il bimbo cadde dalla finestra, battendo sul selciato sottostante. L'altezza e il modo della caduta impongono di credere, scrisse allora Olimpia all'antico ospite e protettore Hermann, che solo un miracolo divino abbia salvato il ragazzo dalla morte (lett. XXII).

Da Würzburg i coniugi passarono a Schweinfurt, città natale di Grunthler, ivi chiamato a prestar servizio sanitario presso le truppe spagnuole, che erano in Germania. Colà rimasero tranquilli per qualche tempo; ma, quando Alberto di Brandeburgo, irrequieto e sitibondo di potere, scelse Schweinfurt come stanza delle bande, che lo seguivano, la pace esulò dalla casa di Olimpia per non tornarvi mai più. Già il fiero signore cominciò a taglieggiare i miseri abitanti: poi sopravvennero gli avversari, che intrapresero l'assedio della città. La popolazione, sotto i colpi incessanti delle artiglierie nemiche, che battevano notte e giorno le mura, dovette rifugiarsi nelle cantine. Ben presto sopravvennero, compagne immancabili della guerra, la carestia e la peste. Grunthler, attaccato dal morbo, a stento si salvò. Gli infelici abitanti respirarono nel vedere il marchese Alberto allontanarsi di nascosto degli avversari, a cui capiva di non poter resistere. Ma gli assediati non vollero rinunciare al saccheggio di Schweinfurt e, penetrativi, la incendiarono. Un soldato nemico, anima buona, avvertì i Grunthler del pericolo imminente, esortandoli a mettersi in salvo. Mentre si avviavano per uscire dalla città, furono depredati di tutto ciò che avevano. La povera Olimpia rimase scalza e in camicia. Né finirono là le loro traversie.

Nell'allontanarsi da Schweinfurt Andrea Grunthler fu catturato, e non fu rilasciato che per le preghiere e i pianti della moglie. Pervenuti a Hamelburg, borgata lontana dieci miglia dalla città saccheggiata, vennero respinti insieme con altri profughi dagli abitanti, che non volevano attirarsi l'ira dei vincitori. Olimpia, che era riuscita procurarsi un vestito non adatto alla sua persona, si trovava affetta da febbre, ma ciononostante non poté ottenere di fermarsi più di quattro giorni, trascorsi i quali, proseguirono oltre. Giunti in un villaggio, che apparteneva a uno dei vescovi vincitori del marchese Alberto, furono di nuovo catturati. Il poco clemente prelado aveva dato ordine che i cittadini di Schweinfurt, i quali capitassero nelle terre di sua giurisdizione, venissero uccisi. I tre infelici, poiché il fratello di Olimpia era sempre con loro, aspettarono titubanti che si decidesse la loro sorte, finché una

lettera del vescovo, procurata forse da qualcuno dei loro protettori, li rimise in libertà. Ma difettavano assolutamente di mezzi e, senza la generosa offerta di un ricco signore ad essi prima di allora sconosciuto, non avrebbero potuto provvedere ai bisogni più urgenti.

Senonché alla fine Iddio si ricordò di loro — come scrisse Olimpia al Curione (lett. XLII) — e venne in aiuto dei poveri malcapitati per mezzo del conte di Reineck e poi dei signori di Erbach. Il conte Eberardo di Erbach, marito di una figlia del conte Palatino, dopo di averli sottratti dalle angustie in cui versavano (la contessa volle personalmente assistere Olimpia ancora febbricitante), procurò a Grunthler una cattedra di medicina nell'Università di Heidelberg. In quella città, famosa anche allora per gli studi, si ridussero i coniugi infelici col piccolo Morato verso il 1° agosto del 1554 e prima loro cura fu di rifarsi la casa distrutta. Generosità di amici, editori e autori, e soprattutto del Curione, consentì alla povera Olimpia di ricostituire la biblioteca perduta a Schweinfurt. Poi Grunthler si dette a preparare il suo corso di lezioni, mentre la Morato badava all'educazione del fratello e s'interessava alla sorte dei profughi di Schweinfurt, venendo come meglio poteva in loro soccorso. Senonché la sua debole costituzione aveva troppo risentito delle ansie e dei patimenti sofferti perché potesse resistere più a lungo. Già, durante le peregrinazioni, che seguirono alla distruzione di Schweinfurt, Olimpia era stata assalita dalla febbre. Nuovi sintomi della malattia comparvero nell'autunno del 1554; ma la nostra scrittrice superò quella crisi. Non altrettanto accadde dell'altra manifestazione, che il terribile male ebbe nella primavera dell'anno seguente. Scrivendo in quel tempo agli amici, la Morato diceva di essere affetta da febbre continua. «Giorno per giorno, così al Curione il 7 luglio 1555 (lett. XLV), mi sento consumare sempre più dalla forza del male, né passa quasi un'ora sola che non abbia la febbre». E in altra lettera dello stesso periodo scriveva: «Quid de me fiet nescio: ego me totam Deo trado et committo, cupioque dissolvi et esse cum Christo» (lett. XLI). Le stesse parole che si leggono nell'ultima lettera scritta al Curione poco tempo prima della morte (lett. L).

Ho ricordato i fatti più notevoli della vita di Olimpia, quali ci sono offerti dalle lettere. Ma esse hanno non minore importanza per la storia della Riforma. Le convinzioni luterane della scrittrice

risultano chiare da questi documenti. Ella è contro la dottrina della predestinazione (lett. XLIX); si augura che una conciliazione intervenga tra *sacramentari* e seguaci della dottrina eucaristica quale la concepì Lutero; infine, e questo colpisce maggiormente chi legge l'epistolario moratiano, si dimostra profondamente convinta che le sue credenze son vere e manifesta veemente desiderio di trasfondere negli altri la stessa sua fede. Tale proselitismo ella compie come un sacro dovere con una insistenza e un vigore di persuasione davvero straordinarii. Ricorrono frequenti nelle sue lettere le esortazioni allo studio della Sacra Scrittura da farsi da soli senza bisogno di intermediari. Frequentissimi sono i richiami alla fede in Dio e nel sacrificio di Cristo redentore dell'umanità. « Fuori di Dio non v'è salute » è la frase che si ripete spesso. Altro fatto notevole: Olimpia procura di mettere alla portata dei connazionali le dottrine riformate; la vediamo quindi pregare il Vergerio perché traduca in lingua italiana il *Catechismo* di Lutero, e rivolgersi a Mattia Flacio perché faccia altrettanto per altre opere del gran riformatore o scriva qualcosa di nuovo.

Una donna così profondamente convinta, e che d'altra parte nutriva sentimenti tanto elevati, non rimase mai insensibile alla sorte dei propri fratelli in fede perseguitati dagli avversari. Le persecuzioni ordinate da Maria Tudor in Inghilterra, che causarono la fuga di Bernardino Ochino di là a Ginevra (lett. XLVI e XLVII); le violenze, di cui i protestanti erano vittime in Germania e in Francia, la colpirono profondamente. In una lettera all'antica compagna di studi e di giovinezza Anna d'Este, divenuta duchessa di Guisa, invocò il suo intervento presso il marito, perché non inveisce contro gli Ugonotti (lett. XXXII). E non piccole preoccupazioni destò in lei l'andamento della chiesa riformata in Italia. La dispersione degli eretici ferraresi ordinata da Ercole II l'afflisse (lett. XXXV); vivo sdegno provò per la ritrattazione di Renata e di altri correligionari; in compenso ebbe la consolazione di udire che sua madre, Lucrezia Gozzi, era rimasta ferma nelle proprie credenze (lett. XL). Quando apprese che l'eretico faentino Fanino Fanini correva pericolo nel capo ad opera dell'Inquisizione, pregò l'amica Lavinia Della Rovere, perché, andando a Roma, dove possedeva larghe aderenze, gli risparmiasse l'amara sorte, che purtroppo lo colpì.

Sarebbe argomento degnissimo di studio quello della Morata; eppure si deve ancora far capo alla vecchia monografia di

J. BONNET, *O. M. Épisode de la Renaissance en Italie*, 4<sup>me</sup> édit., Paris, Grassart, 1866, a cui pochissimo aggiunsero i lavori posteriori di G. AGNELLI, *F. O. M.*, Ferrara, 1892 (estr. dal vol. *Quinto centenario di fondazione della libera Università di Ferrara*), di B. FONTANA, *Renata di Francia duchessa di Ferrara*, Roma, Forzani, 1893, II, 155 e 296 sgg., e di A. MORPURGO, *O. M.* in «*Archeogr. Triestino*» n. s. XXI (1896-97), pp. 305-32, e l'art. del BENRATH nella *Realencyklopädie für Protestantische Theologie u. Kirche* di HERZOG, XIII, 461.

Per tenerci ora all'epistolario, esso offre il campo a due questioni: una di testo e una di cronologia. Procurerò di esporle nel modo più breve possibile, traendo dal mio discorso risultati, se non m'inganno, notevoli per la conoscenza di Olimpia. Sappiamo che il Curione si assunse il compito di raccogliere e pubblicare gli scritti e le lettere della Morata. L'infelice donna gliene dette incarico limitatamente però ai versi, *quae* — ella scrisse — *potui in memoriam redigere post ruinam Suinphordensem* (lett. L). Gli altri scritti si perdettero nell'assedio e nel saccheggio della città. Ma il Curione si pose all'opera e col solito suo zelo, accresciuto dall'amicizia, che lo legava a Olimpia e al padre, dalla comunanza della fede religiosa e dall'interesse, che destavano e destano ancora oggi i casi della scrittrice, riuscì a procurarsi quanto ella aveva scritto e, fra l'altro, un bel manipolo di lettere.

Rintracciato il materiale, quale uso ne fece il Curione? La Morata pregò l'amico che le facesse da Aristarco e desse l'ultima lima ai versi trascritti, come dicevo, a memoria dopo che la redazione originale era andata dispersa (lett. L). Ma il Curione estese la facoltà concessagli per i carmi anche agli altri scritti, e, ciò che mai avrebbe dovuto fare, alle lettere. Non solo egli tradusse in latino alcune di quelle originariamente scritte in italiano, il che fino ad un certo punto poteva anche rispondere ad una necessità per il pubblico tedesco e anglosassone, a cui si dirigeva la pubblicazione; non solo da buon umanista le ripulì, le ampliò e le rifece col suo stile di valente ciceroniano; ma vi introdusse modificazioni, che ne intaccarono la sostanza; sopresse o attenuò frasi e parole, che, divulgate, sarebbero apparse eccessive; tacque nomi e circostanze, che sarebbe stato sconveniente mettere in pubblico. Documento la mia affermazione.

Della lettera scritta al Curione da Augusta il 7 ottobre 1550 (XIV di questa raccolta) possediamo una redazione compresa



nelle *Opere* della Morata; ma nessuno ha badato finora che di essa e dell'altra diretta allo stesso Curione da Schweinfurt il 1° ottobre 1551 (lett. XV) esistono redazioni notevolmente diverse nell'*Epistolario* del Curione edito nel 1553. In questa redazione sono nominati esplicitamente i duchi di Ferrara, mentre nell'altra al posto dei loro nomi si trovano vaghe indicazioni. Evidentemente l'editore, che nell'uno e nell'altro caso fu il Curione, la prima volta lasciò il lamento della Morata verso gli antichi protettori, che l'avevano abbandonata, nella forma in cui era uscito dalla sua penna, mentre la seconda credette opportuno di temperarlo. Contrariamente adunque a quanto pensò il Fontana (*op. cit.*, 304-5), si deve ritenere che il Curione, piuttosto che aggiungere qualche amara parola al giudizio di Olimpia su Renata, ne moderasse alquanto l'asprezza.

Anche più ampia testimonianza del lavoro compiuto dal Curione ci offre la lettera della Morata alla sorella Vittoria, che il Bonnet comunicò alla *Rivista Cristiana* del Comba nel 1878. Essa era scritta originariamente in italiano; ma il Curione la tradusse. Ora basta confrontare le due redazioni per vedere come egli abbia rifiuto ed ampliato il testo originale e per avere altri saggi delle soppressioni introdotte. Parlando di Heidelberg, Olimpia scrisse: « Questa città ha ben predicatori buoni, ma ancora e preti e frati, e non è la cosa troppo netta ». Il Curione omise la frase. Altrove, accennando ai vescovi, che bruciarono Schweinfurt, Olimpia ha queste parole: « e dopo che hanno bruciato Suinforto, che non hanno lasciato pur una casa, hanno ancora bruciato il paese del più pio principe che fusse in Alemagna ». Il traduttore tacque tale circostanza. Ancora troviamo nel testo originale: « Egli (Dio) volle questi mezzi: l'evangelio e la orazione per salvarci ». Il Curione tolse la frase, che suonava troppo apertamente contraria ai Calvinisti. Citando i *Salmi* la Morata segue la numerazione della volgata; il Curione vi sostituisce quella del testo ebraico: onde XC e CXLI invece di LXXXIX e CXL, come si leggeva nell'originale. Altre differenze potrà osservarle il lettore.

Restituire le lettere della Morata al primitivo dettato deve essere desiderio di ognuno che ami conoscere i sentimenti veri della scrittrice; ma purtroppo, data la enorme dispersione che le lettere stesse hanno subito, l'impresa non è facile. Mi sono limitato pertanto a rimettere le cose a posto dove era possibile.



L'altra questione, a cui accennavo, non meno importante per la conoscenza esatta della figura, che c'interessa, riguarda la cronologia delle lettere. Si tratta principalmente di determinare due date centrali nella vita della donna infelice, quella delle nozze col Grunthler e l'altra della partenza per la Germania, che segnò il definitivo allontanamento dalla famiglia paterna, dagli amici, dalla patria. Il Bonnet, confutando l'opinione tradizionale, accettata dal nostro Tiraboschi, ritenne che matrimonio e partenza accaddero fra il 1550 e il '51 e tale opinione fondò principalmente su di un passo della lettera, con cui il Grunthler annunciò al Curione la morte della infelice consorte. « Vixit illa quidem mecum non totum quinquennium » scrisse il derelitto marito (OLYMPIAE F. MORATAE, *Opera*, p. 188), e poiché Olimpia, come risulta da documenti sicuri, morì il 26 ottobre 1555, le nozze, dice il Bonnet, non poterono avvenire che alla fine del 1550. Il ragionamento sembra convincente; senonché la cronologia che ne risulta urta contro la tradizione e contro il buon senso. Qui a ristabilire la verità ci soccorre un accenno contenuto in una delle lettere al Curione (la XV di questa raccolta), e precisamente quello al supplizio di Fanino Fanini da Faenza avvenuto a Ferrara per causa di eresia il 22 agosto 1550 (LANZONI, *La controriforma nella città e diocesi di Faenza*, Faenza, 1925, p. 94). Ora poiché nella lettera ricordata il supplizio si dà per avvenuto l'anno precedente a quello, in cui la lettera fu scritta, la data di questa risulta determinata in modo sicuro. E dalla data stessa si deducono anche le altre. Accettando la cronologia del Bonnet, si cadrebbe nel paradosso di attribuire le raccomandazioni, che Olimpia rivolse a Lavinia Della Rovere a prò di Fanino, ad un'epoca posteriore alla morte di quest'ultimo. Né a sostenere l'opinione del biografo francese si può addurre l'accenno, racchiuso nella lettera XIV di questa raccolta, alle traversie che Olimpia subì dopo la morte del padre (1548) e prima delle nozze. Due anni sarebbe durato quel triste periodo di miseria e di abbandono, e cioè fino al 1550, allorché il Grunthler sposò la Morata. La notizia darebbe ragione al Bonnet, se essa non fosse vaga e uguagliasse almeno in certezza, il che non è, quella del supplizio inflitto al Fanini.

Ciò premesso, le lettere vanno datate, a mio parere, nel seguente modo:

I. [Ferrara, 1540]: epoca dell'ingresso di Olimpia nella corte di Ercole II come compagna di studi di Anna d'Este.

II. [Ferrara, 1540-48]: da un accenno all'*Elogio di Muzio Scevola* scritto da Olimpia prima di lasciare la corte Estense.

III-IV. [Ferrara, 1540-48]. Si riferiscono all'epoca, in cui la Morata tornò alla casa paterna per curarsi di un malanno che l'affliggeva. Infatti in una lettera del medico Sinapi in risposta alle medesime si parla della guarigione e del ritorno di Olimpia a Consandolo, dove era la Corte.

V. [Ferrara, 1549]: scritta durante una breve assenza di Grunthler, che si era recato in Germania per cercare dove allogarsi. Olimpia era già moglie allora del giovane tedesco.

VI. Ferrara, 30 [marzo 1549]. Nel testo la data è *tertio calendis Iunii 1548*, ma va corretta, perché il Sinapi, a cui la lettera è diretta, caduto in disgrazia di Renata d'Este, abbandonò la Corte verso la fine del 1548.

VII. Ferrara, 12 aprile [1549]. Nel testo *1548*, ma va corretto per la ragione già indicata.

VIII. Ferrara, 19 maggio 1549: data indicata esattamente nel testo a stampa.

IX. Ferrara, 1<sup>o</sup> giugno [1549]: sollecita il ritorno di Grunthler, recatosi, come si è detto, in Germania.

X. Kauffbeuren, 25 agosto [1549]. Nel testo, per errore, *1548*. Da questa lettera appare che i due coniugi giunsero in Germania il 12 giugno 1549.

XI. [Kauffbeuren, fine del 1549]. Qui si accenna all'intervento di Lavinia Della Rovere a prò di Fanino, imprigionato tra la fine del 1548 e i primi del '49, ma non ancora irremissibilmente dannato alla pena crudele, a cui poi soggiacque. La lettera è in risposta ad altra della Lavinia da Parma, 2 novembre.

XII. [Kauffbeuren, 1549]. L'accenno alla morte del cugino, che ricorre pure nella lettera precedente, consente di riavvicinare questa all'altra che sta innanzi.

XIII. [Kauffbeuren, 1549]. Dice di essere ospite di Giorgio Hermann, che stava a Kauffbeuren.

XIV. Augusta, 7 ottobre [1550]. Ricorda la morte del padre come avvenuta due anni prima e si sa che Pellegrino Morato mancò ai vivi nel 1548 (G. CAMPORI, in « Atti e Memorie delle RR. Deputaz. di stor. patr. per le prov. moden. e parm. » VIII (1877), pp. 361-71) Si accenna inoltre ai versi scritti da Olimpia l'anno innanzi e nella lettera al Giraldis, da noi assegnata al 1549 (lett. XIII), si parla del diletto, che la giovane poetessa traeva dal conversare tutto il giorno colle Muse.

Questa lettera e la seguente si trovano tanto nelle *Opere* della Morata quanto nell'*Epistolario* del Curione. Registro qui le varianti principali fra le due edizioni:

1553 (Curione)	1570 (Morata)
a principe mea desertam	ab iis, a quibus minime debui etc.
sed hos fructus omnes a nostris principibus retulimus, nimirum pro labore tulimus odium.	<i>sopprresse le parole</i> a nostris principibus..... pro labore <i>et officio</i> etc.
princeps	quae nos tueri debuerat.

XV. Schweinfurt, 1° ottobre [1551]. Qui si accenna al supplizio del Fanini come avvenuto l'anno innanzi. Il testo della lettera differisce da quello che si legge nell'edizione 1570 nei seguenti punti:

1553	1570
ullis principum precibus super aspera saxa humi <i>Pasquillum</i> mittes	ullis precibus super saxa in molli humo <i>Ecstaticum</i> dialogum dabis

XVI. Schweinfurt, [1552]: si parla della guerra che ardeva attorno ai vescovadi lorenese tra Carlo V e Enrico II.

XVII. Schweinfurt, [1552]: si collega per il contenuto alla precedente.

XVIII-XIX. [Schweinfurt, 1553]. Le due lettere si collegano alla XXVIII di questa raccolta, la quale è datata nel testo a stampa. Tutte le tre lettere non sono anteriori alla fine del 1552 o principii del '53, perché in una si accenna alla liberazione del duca di Sassonia, avvenuta in conseguenza del trattato di Passavia (2 agosto 1552).

XX. [Schweinfurt, 1552]. La lettera si collega con la XXV e XXVI di questa raccolta; tutte e tre si riferiscono all'offerta di una cattedra di medicina a Linz, che Giorgio Hermann fece a Grunthler in nome di Ferdinando d'Austria. La proposta avvenne

certamente nel 1552, perché lo Hermann morì il 10 dicembre di quell'anno (SCHELHORN, *Amoenitates historiae ecclesiasticae et literariae*, I, 747).

XXI. Schweinfurt, [1553]. Appartiene al periodo della dimora a Schweinfurt prima che Alberto di Brandeburgo venisse assediato dagli avversarii.

XXII. Würzburg, [1550]. La dimora a Würzburg sta fra quella di Augusta, dove Olimpia era ancora il 7 ottobre 1550, e quella di Schweinfurt, dove ella si trovava già nell'ottobre dell'anno seguente.

XXIII. [Würzburg, 1551]. Olimpia dice di non vedere il Sinapi partito per Augusta: la lettera si riferisce quindi alla dimora in Würzburg presso di lui.

XXIV. Non è possibile determinare neppure approssimativamente la data di questa lettera per mancanza di indicazioni concrete.

XXV e XXVI. Schweinfurt, [1552]. Cfr. *n.* alla lett. XX.

XXVII. Schweinfurt, 20 novembre 1552.

XXVIII. Schweinfurt, 15 gennaio 1553. Cfr. *n.* alle lettere XVIII e XIX.

XXIX. Schweinfurt, 2 febbraio [1554]. Olimpia dice che la città di Schweinfurt era assediata da nove mesi, e si sa che l'assedio cominciò nell'aprile 1553.

XXX. Schweinfurt, 26 maggio 1553.

XXXI. Schweinfurt. Impossibile datare questa lettera per mancanza di indicazioni concrete.

XXXII. Heidelberg, 1° giugno [1555]. Nel testo è 1554; ma la correzione s'impone perché il 1° giugno 1554 la Morata non era ancora giunta a Heidelberg (v. lett. XLVII).

XXXIII. 22 novembre. Non saprei assegnare un anno preciso a questa lettera. Il Bonnet crede che si riferisca al periodo, in cui Grunthler si allontanò da Ferrara per recarsi in Germania, ciò che avvenne, come sappiamo, nel 1549; ma il 22 novembre di quell'anno non solo era ritornato in Italia, ma era anche ripartito per la Germania.

XXXIV. Anche di questa lettera è difficile stabilire la data in modo sicuro. Essa contiene accenni a fatti, che non saprei determinare. Si parla di un prossimo arrivo di un *principe*, il quale avrebbe fatto guerra a coloro che si trovavano nella città, dove era Olimpia. Che si tratti di Maurizio di Sassonia nel momento, in cui mosse contro Alberto di Brandeburgo? Olimpia

dice di voler ritornare, *fac ut redire possim*, e non si ritorna se non dove si è già stati. Inoltre saluta il marito, al quale la lettera è diretta, in nome degli *hospites*, presso i quali si trovava. Chi essi fossero, se Hermann o altri non saprei dire. Certo la lettera è anteriore alla morte della Bucironia du Gran Ry, consorte di Giovanni Sinapi, avvenuta il 28 giugno 1553, perché in essa si parla di quella donna, che pare si trovasse insieme con la Morata.

XXXV. Heidelberg, 26 gennaio [1555]. Accenna alle persecuzioni contro gli eretici di Ferrara, che avvennero fra il 1554 e il '55.

XXXVI. Heidelberg, [1554]. Appartiene ai primi giorni della dimora in Heidelberg, cioè all'estate del 1554. *Iam ante aliquot dies ad Heidelbergam pervenimus.*

XXXVII. [Heidelberg, 1554]. Anche la presente lettera, come appare dal contesto, appartiene ai primi tempi della dimora in Heidelberg.

XXXVIII. Heidelberg, 25 gennaio 1555.

XXXIX. Heidelberg, 2 febbraio [1555]. Risponde ad altra lettera del Campano, che nel testo porta la data 31 gennaio 1555.

XL. [Heidelberg, primi del 1555]. Risponde ad una lettera del Vergerio del dicembre '54, e accenna alla ritrattazione di Renata d'Este avvenuta il 23 settembre di quell'anno.

XLI. [Heidelberg, 1555]. Olimpia dice di essere incessantemente affetta da febbre, e assai probabilmente la lettera fu scritta nell'ultima fase della malattia.

XLII. Heidelberg, 25 luglio [1554]. Appartiene ai primi tempi della dimora in Heidelberg: ciò risulta chiaramente dal contesto.

XLIII. [Heidelberg, agosto 1554]. Di pochi giorni posteriore alla precedente, come risulta dalle prime parole.

XLIV. Heidelberg, 1° dicembre [1554]. La lettera appare scritta durante la prima fase della malattia.

XLV. Heidelberg, 7 luglio [1555]. La lettera precede di poco la fine della Morata.

XLVI. Heidelberg, 1° agosto [1554]. Si accenna alle persecuzioni, che i riformati subivano allora in Inghilterra ad opera di Maria Tudor. Cfr. lett. XLII.

XLVII. Heidelberg, 7 agosto [1554]. Come appare chiaramente dal contesto, la lettera fu scritta nei primi tempi della dimora in Heidelberg.

Eccone il testo italiano, già citato a documentare le manomissioni fatte dal Curione.

OLIMPIA MORATA ALLA SORELLA VITTORIA

« Alla mia carissima sorella Madonna Vittoria Morata presso l'ill.ma signora Lavinia Roverense Orsina.

« Carissima sorella, per la grazia di Dio semo salvi, del che voi ancora ne dovete ringraziar Dio, il quale ci ha tirato fuora e liberato di tanti pericoli, che se io tutti li volesse scrivere, se ne potrebbe fare un gran libro. Noi avemo provato le calamità della guerra e siamo stati quattordici mesi in continue angustie, in mezzo le artelarie, giorno e notte, che in un giorno spesse volte hanno tirato tanti tratti de artelaria contra la terra, che saria cosa incredibile a raccontarli. E il Signore tanto ci ha defeso, perfin che ha voluto chiamare il popolo a penitenzia, che pochissimi sono stati ammazzati, ed è stata invitta la città, che mai con tutte le forze l'hanno potuto vincere, essendo piccola e non troppo munita. Ma alla fine con tradimento, perché noi pensavamo che i nemici se partirebbono, come da la Sua Maestá e da altri principi era comandato, così entrorno ed avendo tolto tutto quello che era nella città, la brusciorno. Ma il Signore miracolosamente ci liberò dalla fiamma, avendoci uno delli nemici stessi avvisato che uscissemo fuora, avendo noi deliberato di stare nella chiesa, dove il fumo ci avrebbe, come ha fatto ad alcuni, soffocato. Poi fu il mio consorte pigliato due volte. Quello mi fu un dolore intollerabile, che certo, se il Signore avesse longamente differito il suo aiuto, io dal dolore sarebbe morta. Per grazia di Dio, non mi son curata di perdere ogni cosa, che altro che la camisia non mi era restato.

« Ma il Signore mi ha cominciato a dare le cose necessarie, e ci mandò nelle mani di certi conti signori di alta, che ci hanno vestito onorevolmente. E la moglie di uno di quelli signori, la quale è figliuola de uno de' gran duchi e nobili d'Alemagna de' Palatini, mi ricevette essendo io ammalata e malacciata con tanta carità, che perfin al letto mi serviva. Essa mi donò un zubone<sup>(1)</sup>, che vale piú di vinticinque scudi. Un altro signore che mai non

---

(1) B., *rubone*.

avemo visto, né udito nominare, quando eramo per la via di venire qua, ci mandava quindici scudi per il camminare. Quando fugiamo mi venne la febbre, e quattro settimane sempre son stata ammalata. Adesso sono otto giorni che siamo venuti qui in una terra che si chiama Heidelberga del eccell.mo signor duca Elettore Palatino, dove è una accademia, nella quale il mio consorte è stato da S. Ecc. fatto lettore pubblico, benché a questi miseri tempi piú se curano le persone di arme che di lettere, essendo ogni cosa sotto sopra. I vescovi hanno un grande esercito, che va di qua e di lá, nocendo alle città del evangelio, e, dopo che hanno brusciato Suinforto, che non hanno lasciato pur una casa, hanno ancora brusciato il paese del piú pio principe che fusse in Alemagna. L'è ancora gran persecuzione in Anglia e intendo che padre Bernardino è fuggito a Geneva, sicché in ogni loco bisogna portare la croce chi vole esser di Cristo.

Io son piú allegra di così patire ed essere vero membro di Cristo, che se io avesse tutto il mondo, e non lo desidero. Io so bene che questa non sarà l'ultima persecuzione, che averemo patito, ma che bisognerà, se viveremo, patire molte tribulazioni, né al presente semo senza. Questa città ha ben predicatori buoni, ma ancora e preti e frati, e non è la cosa troppo netta. Purché Dio mi dia fede e costanzia perfin alla fine, come spero che lo farà, avendomi promesso di esaudirmi in tutto quelchel pregarò; e io di ciò lo priego assiduamente, e lui mi dia grazia che io perfin qui, a laude sua, fra gl'impiei delli quali ogni cosa è piena, mai ho ceduto un pelo quanto alla religione, e non mi accordo in niente con li epicurei, che in libertá di carne pigliano l'evangelio: così sempre ci è qualche fastidio. Ma molto meglio è patir in questa brevissima vita, che stare in eterno in tormenti inenarrabili.

« Così vi priego, la mia cara sorella, che abbiate cura della vostra salute, e che piú temiate quello che con una parola ha creato ogni cosa, quello che vi ha creato e fatto tanti beneficii, che un pezzo di carne, la quale è come il ferro, un poco di fiato che presto uscisse fuori. E se vi sentite inferma, non bisogna che scusate la vostra infermitá, perché non è peccato maggiore che escusare i suoi peccati. Per questo David prega nel salmo CXL: « Non lascia, Signore, inclinare il core mio ad escusare i peccati ». Il salmo comincia: « Signore, io gridai a te ». Ma bisogna confessarla a Dio come a un medico, e lui pregare che vi faccia

forte e vi dia grazia chel temiate piú éssò che gli uomini. Per questo tante volte Iddio ne' salmi sé chiama il Dio della nostra fortezza, perché el ci fa forti pur chel preghiamo. Ei vole esser pregato assiduamente. Siate certa — chel non mentirà, dice Paolo, e che è ricco inverso tutti quelli chel chiamano, e che ricompensa (dice l'epistola *alli Ebrei*) quelli che lo cercano. — Non bisogna tentarło dicendo: — Se sarò delli eletti, mi salvarò bene. — Questo è dispregiare l'evangelio, con il quale Dio vi chiama alla salute, e un volere tentare Dio. Egli vole questi mezzi, l'evangelio e la orazione, per salvarci. « La fede — dice Paolo — vien per l'udita e l'udita per la parola di Dio ». Così scrive *ai Galati*, che essi abbiano ricevuto Spirito santo per avere udito la voce del evangelio, come se vede nel'istoria di Cornelio che, mentre che udivano la parola del Signore, cadeva lo Spirito santo sopra essi.

« Però fate che mai passi giorno, che non leggiate con devozione, pregando Dio che per Cristo vi illumini qualche cosa della Sacra Scrittura con la interpretazione. Piú presto levatevi un poco piú a bon'ora, perché Dio vole che prima si cerchi il suo regno, e poi fate l'officio vostro diligentemente come Dio comanda. Servite la vostra patrona di cuore con ogni debito onore e riverenzia, e dite a Sua S.<sup>ria</sup> che si consoli con la parola di Dio, ché presto arrivaremo al porto. Il tempo vola così bene nelle afflizioni come nel buon tempo. Che la si consoli, ché la patisce insieme con la chiesa, anzi con Cristo istesso. Ditele che quella signora, che ho nominato di sopra in questa lettera, ha ancora essa la sua croce. La è figliuola de un duca del quale parentado e stirpe sono stati alquanti imperatori, ed essa si contenta di esser maritata con un conte, ed in diciannove anni mai è stata un'ora sana. Sono quattro settimane, che la sta male in pericolo. Io molto temo che la non mora. La è molto pia e sempre parla de l'altra vita. E spesso per la parola di Dio hanno posto la roba e la vita in pericolo.

Cara sorella, pregate Dio come Moisé nel suo salmo LXXXIX: « Signore, insegnaci che abbiamo a morire acciocché camminiamo saggiamente ». Così cercherete di avere Dio propizio. Cercate il Signore mentre che si trova, e non imitate la moltitudine delli impii, se non volete avere il premio che essi averano, la dannazione eterna. Il Signore sia con voi e vi dia il suo Spirito santo. Bacciate le mani a queste signore da mia parte, e salutate le vostre compagne e tutte le donne e donzelle. Io scrivo a madonna Cherubina. Scrivetemi una lettera longa acciocché intenda come



state e come vivete. Io grandemente desidero lettere della mia cara signora Lavinia, la quale sempre io ho nel cuore. Spesso ho scritto a S. S.<sup>ria</sup> e a voi; mai ho avuto risposta. Gli mandai non so che libretti. Scrivetemi se S. S.<sup>ria</sup> gli ha ricevuti e avuto grati, e non siate così pigra nel scrivere. Di grazia scrivetemi e non siate pigra. Gran cosa che, se ben che io scrivo tante lettere, nessuno mi risponde. Io mandai alcuni libretti alla signora Lavinia. Scrivetemi se S. S.<sup>ria</sup> gli ha ricevuti. Guardatevi dall'idolatria.

Di Heidelberg a 8 di agosto [1554].

Il mio consorte ed Emilio vi salutano.

La vostra sorella OLIMPIA MORATA GRUNTLERA.

(Dalla « RIV. CRISTIANA » VI [1878], pp. 5-7).

XLVIII. Heidelberg, 8 agosto [1554]. Valga per questa lettera quanto si è detto per la precedente.

XLIX. [Heidelberg, agosto 1554]. Si attacca immediatamente alla precedente, come risulta dalle prime parole.

L. Heidelberg, [1555]. Precede di qualche giorno la fine della povera Olimpia.

## III.

Manca una monografia recente sul Curione e bisogna quindi far capo ai vecchi scritti di Giovannicola STUPANO e dello SCHMIDT. Un buon articolo del BENRATH si legge in *Realencyklopädie* di HERZOG., cit., IV, 353 sgg.

Il C. nacque a Cirié (Torino) il 1° maggio 1503. Studiò a Moncalieri, Torino e Milano. Da Girolamo Negri ebbe gli scritti dei riformatori d'oltre Alpi, che lesse avidamente. Desiderando conoscere di persona quegli uomini, i cui libri avevano suscitato così grande interesse in lui, si pose in viaggio con due predicatori evangelici; ma il vescovo di Ivrea lo fece arrestare e lo tenne in carcere due mesi, inviandolo poi nel convento di San Benigno, perché tornasse sulla retta via dal punto di vista cattolico. Ma dal convento fuggì dopo aver sostituito alle reliquie di alcuni santi, che ivi si conservavano, un esemplare della Bibbia. Andò vagando per vari luoghi e si trattenne più a lungo a Milano, dove prese moglie, a Casale Monferrato e a Torino. Per aver confutato un monaco, che si era scagliato contro Lutero, ebbe brighe con l'inquisizione. Ma, liberato, divenne professore di grammatica e retorica a Pavia. L'inquisizione non gli dette pace e lo costrinse a lasciare quell'Università, donde passò a Venezia, poi a Ferrara presso Renata d'Este e infine a Lucca, che lo accolse come pubblico insegnante. Ma nel 1542, non potendo trovare pace neppure là, consigliato dai governanti della Repubblica, emigrò all'estero. Essendosi fatto conoscere per le sue opere, diventò professore a Losanna prima e poi, nel 1547, a Basilea, dove rimase fino alla morte avvenuta il 24 novembre 1569.

Il C. scrisse molto e di molte cose. Esistono di lui opere teologiche, filosofiche, storiche, satiriche, letterarie. Qui sono riprodotte alcune lettere di quelle, che l'autore stesso scelse e stampò a Basilea nel marzo 1553. Cfr. CAELII SECUNDI CURIONIS, *Selectarum Epistolarum* libri duo. Basileae, per Iohannem Oporinum.

Carattere ben diverso dall'epistolario della Morata ha quello del Curione. Qui non trovi ricchezza di elementi biografici: attraverso qualche lettera ci è dato scorgere in quali difficoltà di carattere finanziario si dibattesse il povero esule privo di beni di

fortuna e onusto di numerosa famiglia. Nelle epistole raccolte da lui vedi l'umanista, il professore, che dell'insegnamento e del culto delle lettere ha fatto l'occupazione fondamentale della vita, e che da buon padre di figli cerca di valorizzare quelle forme di attività per scopi essenzialmente pratici. Leggi specialmente le lettere I, II, V, VI, VII, XI: sia che egli scriva a vecchi o nuovi discepoli, sia che presenti una delle sue opere agli amici perché vi diano diffusione, è facile indovinare in quali dure condizioni si svolgesse la sua vita di esule. Altre lettere ci mostrano il Curione in rapporti di amicizia con teologi e dotti della Germania e della Svizzera, quali Bonifacio Amerbach, Enrico Bullinger, Martino Borrao, Melantone ed altri, e attestano l'alta considerazione in cui era tenuto nell'ambiente che lo circondava.

Mi sono industriato di datare le lettere del Curione, sebbene non sia agevole il farlo per mancanza di accenni concreti a uomini e cose del tempo. Credo di aver stabilito quanto segue:

I. Basilea, 4 ottobre [1552]. Risulta dalla lettera di Basilio Amerbach in risposta a quella del Curione datata da Tubinga, 3 novembre 1552.

II. Basilea, 13 gennaio [1553]. Risulta dalle due lettere dello stesso Basilio ricordate in principio di quella del Curione con le date rispettivamente del 3 novembre e 3 dicembre 1552.

III e IV. Basilea, 25 dicembre [1550] e 5 settembre [1551]. Le due date risultano dall'accenno al supplizio del Fanini, accaduto il 22 agosto 1550.

V. Basilea, 5 settembre. Non vi sono elementi per assegnare un anno sicuro a questa lettera. Essa fu scritta fra il 1547 e il '53, durante il regno cioè di Eduardo VI Tudor. Il libriccino *de amplitudine misericordiae Dei* appartiene a Orazio Curione, figlio di Celio, n. a Casalmoferrato il 1534; laureatosi a Pisa, passò in Germania, dove l'imperatore Ferdinando lo nominò suo consigliere. Essendosi recato in missione a Costantinopoli, vi morì il 15 febbraio 1564 (SCHELHORN, *Amoenitates literariae*, XIV, 370 sgg. e cfr. BONNET, *Récits du seizième siècle*, Paris, Grassart, 1875; 2<sup>nd</sup> édit., 300 sgg.).

VI. Losanna, 10 febbraio 1543.

VII. Basilea, [1553]? Suppongo che sia del '53 in base all'accenno all'età « quam — scrive il Curione — sentio ingravescere ». In quell'anno toccava infatti il 50<sup>o</sup> dell'età sua.

VIII. 29 luglio. Impossibile stabilire l'anno per mancanza di accenni precisi.

IX. Losanna, 6 dicembre. Non so a quale anno della dimora a Losanna (1543-47) sia da assegnare questa lettera.

X. Losanna, 28 dicembre. Valga per questa lettera quanto si è detto per la precedente.

XI. [Basilea], 13 febbraio 1548.

XII. Basilea, 5 gennaio 1548.

XIII. Basilea, 5 febbraio [1552]. Si accenna alla capitolazione di Magdeburgo, che avvenne nel novembre 1551.

XIV. Basilea, 1° dicembre. Mancano elementi per stabilire l'anno di questa lettera.

XV. 24 giugno: non so di quale anno. La lettera è di Orazio Curione, già nominato sopra.

XVI. Basilea, 1° dicembre [1552]. Si accenna all'assedio di Metz e alla guerra di Siena.

XVII. Basilea, 17 dicembre [1552]. Si accenna all'assedio di Magdeburgo.

XVIII. Più che una lettera è un opuscolo, in cui il Curione contrappone la pratica della mercatura alla professione delle lettere e mette in evidenza i vantaggi che derivano dalla prima e i danni prodotti dalla seconda.

G. P.

## INDICE DEI NOMI (\*)

---

- Agesilao, 172.  
Agnelli Giuseppe, 269.  
Alcimedonte, 249.  
Alessandro I papa, 38.  
— VI papa, 159.  
— Magno, 140, 172.  
Amerbach Basilio, 231 sgg.  
— Bonifacio, 231, 232, 281.  
Aristotele, 107, 172, 233, 239, 257.  
Austria (d') Margherita, 259.  
Avicenna, 187.
- Bamberga (di) vescovo, 195, 210,  
216, 220, 277.  
Bayer, 264.  
Benrath Carlo, 269, 280.  
Bernardino G. Battista, 238.  
Betuleio Sisto, 234, 237.  
Bonifacio VIII papa, 45.  
Bonnet Giulio, 269 sgg., 274, 281.  
Borrao Martino, 242, 281.  
Brandeburgo (di) Alberto, 195, 209,  
210, 266, 274.  
Brescia (di) Giuseppe, 191.  
Briseña Manrique Isabella, 265.
- Brunswick (di) duca, 195.  
Bucironia du Gran Ry, 176, 177,  
194, 203 sgg., 275.  
Bullinger Enrico, 240, 281.  
Butzer Martino, 263.
- Calvino Giovanni, 263.  
Campano Andrea, 204, 206, 207,  
275.  
Campori Giuseppe, 272.  
Carchesio Valentino, 188, 190.  
Carlo V imperatore, 163, 167, 186,  
188, 190, 215, 220, 259, 273.  
Castrucci Castruccio, 252.  
— Caterina, 253.  
— Lucrezia, 253.  
— Vincenzo, 238, 239.  
Celso, 258.  
Cicerone, 233, 235, 238, 245, 252,  
257, 259.  
Clemente VI papa, 45.  
— VII papa, 259.  
Colonna Ascanio, 159.  
Comba Eugenio, 270.  
Cremero Giovanni, 173, 197, 205.

---

(\*) Esclusi quelli che ricorrono nelle citazioni tratte dalla Sacra Scrittura non-  
ché i nomi: Paleario Aonio, Morata Olimpia, Curione Celio Secondo.

- Curione Agostino, 231, 232, 238, 252, 281, 282.  
 — Angela, 232, 255.  
 — Celia, 232, 255.  
 — Felicia, 232, 255.  
 — Leone, 231.  
 — Orazio, 231, 232, 238, 252, 281, 282.
- Dagoberto re dei Franchi, 132.  
 Della Rovere Francesco Maria duca d'Urbino, 159.  
 Della Rovere Lavinia, 176 sgg., 183 sgg., 195, 213, 218, 219, 222, 223, 225, 268, 271, 272, 276, 278, 279.  
 Demostene, 242.  
 De Sanctis Luigi, 263.  
 Diocleziano, 65, 68.  
 Diodoro, 259.
- Eck Giovanni, 95.  
 Eduardo VI re d'Inghilterra, 237, 281.  
 Elisabetta Tudor regina d'Inghilterra, 265.  
 Enrico IV imperatore, 132.  
 Enrico II re di Francia, 201, 259, 273.  
 Episcopio (Bischof), 212.  
 Eradio, 140.  
 Erbach (di) Eberardo, 205, 218, 222, 267, 276.  
 Esopo, 252.  
 Este (d') Anna duchessa di Guisa, 175, 200, 234, 268, 271.  
 — Ercole II, 178, 265, 268, 270, 271, 273.  
 — Renata, 175, 180, 181, 265, 268 sgg., 272, 273, 275, 280.  
 Ettore, eroe Troiano, 128.  
 Eustazio, monaco, 67.  
 Evaristo, papa, 137.
- Faio Licenziato, 205.  
 Fanini Fanino, 178, 182, 186, 268, 271 sgg., 281.  
 Ferdinando I d'Austria re dei Romani, poi imperatore, 175, 176, 192, 273, 281.  
 Filoteo, 209.  
 Fiorentino Tommaso Marco, 246, 247.  
 Flacio Mattia, 196, 268.  
 Fontana Bartolomeo, 269, 270.  
 Formoso papa, 159.  
 Francesco I re di Francia, 259.  
 Frobenius (Froben), 212.  
 Fugger Raimondo, 176, 246.
- Giglio Gregorio, 191.  
 Giraldi Gregorio, 179, 272.  
 Giulio I papa, 145.  
 Giulio II papa, 159.  
 Gonzaga Giulia, 265.  
 Gotwald Andrea, 204.  
 Gozzi Lucrezia, 179, 181, 183, 184, 187, 188, 190, 191, 195, 208, 222, 235, 268.  
 Gregorio Magno papa, 116, 126, 132.  
 Gregorio VII papa, 132, 133.  
 Grunthler Andrea, 174, 176, 177, 179 sgg., 183, 184, 186, 189, 190, 192 sgg., 201 sgg., 216, 219 sgg., 223, 227, 235, 237, 265 sgg., 271 sgg., 276, 277, 279.  
 Grybald, 232.  
 Guisa (di) Francesco, 201, 268.
- Hallbaver, 263.  
 Hermann Antonio, 186, 187, 191, 194.  
 — Giorgio, 177 sgg., 181, 187, 189, 192, 234, 235, 265, 266, 272 sgg.  
 Herold Giovanni, 212, 213.  
 Hervagius (Herwagen), 212.  
 Herzog, 269, 280.

- Infanzio Giovanni, 209.  
 Isingrino, 212, 236.  
 Ivrea (d') vescovo, 280.
- Keck Giovanni, 237.
- Lanzoni Giovanni, 271.  
 Leone I papa, 44, 146.  
 Lindner Cristoforo, 250.  
 Lisippa, 175.  
 Logeria, 173.  
 Logoderalo, 251.  
 Lucio Tommaso, 190.  
 Lutero Martino, 95, 96, 185, 197,  
 208, 263, 264, 268, 280.
- Maometto, 199.  
 Marcione, 161.  
 Mariano Girolamo, 231, 240, 241,  
 254, 255.  
 Maria Tudor regina d'Inghilterra,  
 268, 275.  
 Massenzio, 88.  
 Medici (dei) Alessandro, 259.  
 — Caterina, 259.  
 — Lorenzo duca di Urbino, 259.  
 Melantone Filippo, 250, 263, 264,  
 281.  
 Menalca, 249.  
 Milichio, 192.  
 Morato Emilio, 181, 183, 189, 196,  
 205, 214, 219, 223, 227, 265 sgg.,  
 279.  
 — Fulvio Pellegrino, 180, 234, 235,  
 265, 271, 272.  
 — Vittoria, 183, 186, 196, 214, 215,  
 222, 225, 226, 270, 276.  
 Morpurgo Alessandro, 269.  
 — Giuseppe, 264.  
 Munster Sebastiano, 254.  
 Muzio Scevola, 173, 272.  
 Myconius, 254.
- Nabucodonosor, 44.  
 Negri Girolamo, 280.  
 Nerone, 65, 88.
- Ochino Bernardino, 55, 161, 213,  
 216, 238, 268, 277.  
 Onorio, 132.  
 Oporino Giovanni, 212, 280.  
 Opsopeo Vincenzo, 208.  
 Orsini Camillo, 175, 183.  
 — Cherubina, 179, 219, 223, 278.  
 — Maddalena, 179.  
 — Paolo, 185.  
 Ovidio, 247.
- Palatino (Elettore), 216, 267, 276,  
 277.  
 Paolo III papa, 159.  
 Perna Pietro, 265.  
 Pindaro, 236, 237.  
 Platone, 257.  
 Plinio il giovane, 193.  
 Plinio il vecchio, 259.  
 Plutarco, 205, 258.  
 Probo, 88.
- Rangoni Bentivoglio Elena, 183.  
 Recaredo re dei Visigoti, 132.  
 Reineck (di) conte, 205, 211, 267.  
 Rosio Andrea, 204.
- Saffo, 237.  
 Sassonia (di) Federico, 187, 273.  
 — (di) Maurizio, 195, 274.  
 Sbaski Abramo, 253.  
 — Stanislao, 255.  
 Schelhorn Gian Giorgio, 274, 281.  
 Schleenr Lorenzo, 186, 187, 194.  
 Schmidt, 280.  
 Sergio III papa, 159.  
 Servio vescovo di Marsiglia, 126.  
 Sinapi Chiliano, 171, 172, 176, 177,  
 204.  
 — Giovanni, 173 sgg., 183, 184,

- 189, 190, 194, 204, 235, 236, 265,  
272, 274, 275.  
Sinapi Osvaldo, 175 sgg.  
— Teodora, 176, 177, 194, 205.  
Siricio papa, 64, 146.  
Socino Lelio, 251, 254.  
Socrate, 257.  
Solone, 258.  
Sotero, 135.  
Stancaro, 253.  
Stavio Francesco, 239.  
Stefano VI papa, 159.  
Stupano Giovannicola, 280.  
  
Terenzio, 176.  
Tiraboschi Girolamo, 271.  
Tito imperatore Romano, 44.  
Tito vescovo, 139.  
  
Toledo (di) vescovo, 132.  
Trace Giorgio, 180.  
Traiano, 132.  
  
Ulisse, 171.  
  
Vergerio Pier Paolo, 207, 268, 275.  
Vespasiano, 44.  
Virgilio, 116, 249.  
  
Warnbulero, 231, 232.  
Weber Michele, 193.  
Würzburg (di) vescovo, 195, 210,  
216, 226, 277.  
  
Zerchinta Niccolò, 244.  
Zosimo, 135.  
Zwinger Teodoro, 263.

NB. — A pag. 175 (*lett.* VI della MORATA) il testo a stampa ha « ne *gry* quidem ». Ho creduto opportuno correggere « ne *unam* quidem ».



# INDICE

## I

### AONII PALEARII VERULANI

#### ACTIO IN PONTIFICES ROMANOS ET EORUM ASSECLAS.

AONIUS PALEARIIUS..... <i>depositariis libelli sui</i> . . . . .	pag.	3
» » <i>praefectis sanctarum ecclesiarum Helvetiorum et Germanorum</i> . . . . .	»	5
AONII PALEARII VERULANI <i>Testimonium ad gentes et nationes, quae invocant nomen domini nostri Iesu Christi</i> . . . . .	»	7
AONII PALEARII VERULANI <i>Actio ex declaratione testimonii in pontifices Romanos et eorum asseclas ad principes christianos et praefectos concilio</i> . . . . .	»	19
<i>Caput Primum</i> . . . . .	»	23
» <i>Secundum</i> . . . . .	»	28
» <i>Tertium</i> . . . . .	»	32
» <i>Quartum</i> . . . . .	»	54
» <i>Quintum</i> . . . . .	»	61
» <i>Sextum</i> . . . . .	»	67
» <i>Septimum</i> . . . . .	»	72
» <i>Octavum</i> . . . . .	»	85
» <i>Nonum</i> . . . . .	»	91
» <i>Decimum</i> . . . . .	»	98
» <i>Undecimum</i> . . . . .	»	105
» <i>Duodecimum</i> . . . . .	»	107
» <i>Decimum tertium</i> . . . . .	»	110
» <i>Decimum quartum</i> . . . . .	»	119

<i>Caput Decimum quintum</i> . . . . .	pag. 123
» <i>Decimum sextum</i> . . . . .	» 131
» <i>Decimum septimum</i> . . . . .	» 142
» <i>Decimum octavum</i> . . . . .	» 148
» <i>Decimum nonum</i> . . . . .	» 158
» <i>Vicesimum</i> . . . . .	» 162

## II

## DALLE LETTERE DI OLIMPIA MORATA.

I.	<i>Olympia Morata Chiliano Sinapio</i> . . . . .	pag. 171
II.	» » » » . . . . .	» 172
III.	» » <i>Ioanni Sinapio</i> . . . . .	» 173
IV.	» » » » . . . . .	» 174
V.	» » <i>Andreae Grunthlero</i> . . . . .	» 174
VI.	» » <i>Ioanni Sinapio</i> . . . . .	» 175
VII.	» » » » . . . . .	» 176
VIII.	» » » » . . . . .	» 176
IX.	» » » » . . . . .	» 177
X.	» » » » . . . . .	» 177
XI.	» » <i>Laviniae Ruverensi</i> . . . . .	» 178
XII.	» » <i>Magdalenae Ursinae</i> . . . . .	» 179
XIII.	» » <i>Gregorio Gyrardo</i> . . . . .	» 179
XIV.	» » <i>Caelio Secundo Curioni</i> . . . . .	» 180
XV.	» » » » . . . . .	» 182
XVI.	» » <i>Laviniae Ruverensi</i> . . . . .	» 184
XVII.	» » » » . . . . .	» 185
XVIII.	» » <i>Antonio Hermanno</i> . . . . .	» 186
XIX.	» » <i>Laurentio Schleenri</i> . . . . .	» 187
XX.	» » <i>Hermanno filio</i> . . . . .	» 187
XXI.	» » <i>Valentino Carchesio</i> . . . . .	» 188
XXII.	» » <i>Georgio Hermanno</i> . . . . .	» 189
XXIII.	» » <i>Thomae Lucio</i> . . . . .	» 190
XXIV.	» » <i>Valentino Carchesio</i> . . . . .	» 190
XXV.	» » <i>Antonio Hermanno</i> . . . . .	» 191
XXVI.	» » <i>Georgio Hermanno</i> . . . . .	» 192
XXVII.	» » <i>Michaëli Webero</i> . . . . .	» 193
XXVIII.	» » <i>Ioanni Sinapio</i> . . . . .	» 194
XXIX.	» » <i>Laviniae Ruverensi</i> . . . . .	» 195
XXX.	» » <i>Matthiae Flaccio</i> . . . . .	» 196

XXXI.	<i>Olympia Morata cuidam concionatori Germano</i>	pag. 197
XXXII.	» » <i>Annae Estensi</i>	» 200
XXXIII.	» » <i>Andreae Grunthlero</i>	» 202
XXXIV.	» » » »	» 203
XXXV.	» » <i>Chiliano Sinapio</i>	» 204
XXXVI.	» » <i>Ioanni Sinapio</i>	» 204
XXXVII.	» » <i>Andreae Campano</i>	» 206
XXXVIII.	» » » »	» 206
XXXIX.	» » » »	» 207
XL.	» » <i>P. P. Vergerio</i>	» 207
XLI.	» » <i>Ioanni Infantio</i>	» 209
XLII.	» » <i>Caelio Secundo Curioni</i>	» 209
XLIII.	» » » »	» 211
XLIV.	» » » »	» 212
XLV.	» » » »	» 212
XLVI.	» » <i>Laviniae Ruverensi</i>	» 213
XLVII.	» » <i>Victoriae Moratae</i>	» 215
XLVIII.	» » <i>a Cherubina Orsini</i>	» 219
XLIX.	» » » »	» 223
L.	» » <i>Caelio Secundo Curioni</i>	» 226

III

DALLE EPISTOLE DI CELIO SECONDO CURIONE.

I.	<i>Caelius Secundus Curio Basilio Amerbachio</i>	pag. 231
II.	» » » »	» 232
III.	» » <i>Xysto Betuleio</i>	» 234
IV.	» » <i>Olympiae Moratae</i>	» 236
V.	» » <i>Ioanni Keko</i>	» 237
VI.	» » <i>Ioanni B. Bernardino</i>	» 238
VII.	» » <i>Francisco a Stazio</i>	» 239
VIII.	» » <i>Henrico Bullingero</i>	» 240
IX.	» » <i>Martino Borrhao</i>	» 242
X.	» » <i>Nicolao Zerchintae</i>	» 244
XI.	» » <i>Raimundo Fuggero</i>	» 246
XII.	» » <i>G. N.</i>	» 248
XIII.	» » » »	» 249
XIV.	» » <i>Philippo Melanthoni</i>	» 250
XV.	» <i>Horatius</i> » <i>Castrucio Castrucii filio</i>	» 252
XVI.	» <i>Secundus</i> » <i>Abrahamo Sbaski</i>	» 253

XVII. <i>Caelius Secundus Curio G. C. N.</i> . . . . .	pag. 255
XVIII. LITERARUM ET MERCATURAE COMPARATIO. <i>Caelius Secundus Curio Th. Tr.</i> . . . . .	» 257

## NOTA

I. . . . .	pag. 263
II. . . . .	» 265
III. . . . .	» 280
INDICE DEI NOMI . . . . .	» 283

---

